



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,  
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Disputatio III. De Hæresi, & apostasia à fide.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)



ad cap. fraternitatis. versic. horum tame. sententia. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 16. q. 10. in medio. Farinac. de haresi. q. 80. n. 16. & 17. Malcard. de probation. conclus. 862. n. 3. & alij. Idem iudicium est de falsantibus, seu corruptoribus Catholicorum libros, p. nota dogmata illis miscendo: sic docent Pegna 2. p. 45. Pegna direct. 2. p. com. 17. versic. sed hanc sententia. & segg. Farinac. n. 18. licet tamen ab hac suspitione excusari possit, primo si statim post scripturam libros combusserit, aut lacerauit. Secundo, si nulli domini, & metu inculso non ausus fuit deventicare. Tertio, si tanquam discipulus putavit maleitiam, & veniam sibi non adesse. Quapropter prudentis arbitrio hac omnia expendenda sunt, vt qualitas cuius cognoscatur, & iuxta illam grauis, vel leuis, aut nulla suspicio habeatur. sic Azor, Pegna & Farinac. & alij supra.

4 Tercio dicendum de imprimendis illos, qui vltra excommunicationem tanquam fautores hereticorum puniendi sunt penam arbitria, vt statuit Pius V. ad indicem librorum prohibitorum reg. 10. sic Farinac. num. 19. Menoch. cent. 6. casu 549. Vigilia. de censur. 2. p. in glossa imprimendis. Pegna 2. p. com. 17. et. 1. in fine. Aduertendum insuper, ex constitutione Leonis X. in Concilio Lateranensi, quae incipit, Inter sollicitudines, edita anno 1515, prohibetur esse omnibus typographis, ac libris, & aliis scripturis, quaecumque sint, etiam si heresim non continent, nec de religione tractent, in vrbe impendant absque examinatione, & approbatione in scriptis obiecta tibi Vicarij, & Magistri sacri Palatii, & in alijs diocesis absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris haereticae prauitatis. Qui autem secus praesumpserit, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem & ducatos centum fabricae sancti Petri, per annum ab exercitio imprimendi suspenditur, & excommunicationem ipso facto incurrit, referuam solum Episcopo ex vi huius decreti; & crescente eorum contumacia poene augenda sunt a Vicario in vrbe, & ab Episcopis alibi. Concilium autem Trident. sess. 4. de decreto de editione librorum, sub eiusdem poena cauet, vt nemini liceat imprimere, vel impium facere quolibet libros de rebus sacris sine nomine auctoris, necque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi prius examinati, probatique fuerint ab ordinario, quae quidem licentia in scriptis habenda est. Quod si volentes imprime regulares fuerint, indigeant licentia & approbatione suorum superiorum. Hec Concilium. In regno tamen Castellae lege regia vii recepta sufficit licentia supremi Concilij, de cuius mandato examinatur prius liber ab aliquo viro docto. In vrbe Vicarius remittit librum videntum Magistro sacri Palatii, cuius licentia habita typographus imprimi, praefixa in principio libri sola clausula, De licentia superioris, aut aequipollentis in regno Portugaliae tenetur decretum Concilij Lateranensis, non enim sibi imprimitur liber, nisi obiecta licentia ab Ordinario, & Inquisitoribus, subdit deinde Concilium. Qui autem scripto eos (id est, supradictos libros) communicant, vel euulgant, nisi ante examinant, probatique fuerint, eidem poenis subiacent, quibus impressores. Sub quibus verbis, vt supra dixi, congregato Cardinalium declarauit intelligi conciones, annotationes, quaestiones, & alia similia, quae communicantur ad effectum, vt typis mandentur; secus hoc sine cessante, tradit Man. Ro. tom. 2. q. 99. regul. q. 104. art. 1. sine, Barbosa alios referens. 3. p. de poss. Episc. alleg. 90. in fine.

Sed iniquos, au si impuras librum falso nomine auctoris impo-  
Credo te peccare, quia vere ille liber est absque nomine auctoris, non tamen inuenientia, quae Concilium intendit vitare in libris sine nomine auctoris procedunt, cum sub nomine edito imprimunt. Non enim auctor tunc conueniri potest, vt rationem reddat de doctrina asserta. Qua propter inter modos periculosos falsificandi libros hic enumeratur a Pegna direct. 2. p. com. 17. ad cap. nouerit, versic. denique qualis sit, & segg. Farinac. de haresi, q. 180. n. 14.

5 Quarto dicendum est de recinentibus, defendentibus, alporantibus, vendentibus, & ementibus; si enim hi libros hereticorum, in quibus haereses distinctae sunt, scienter retinent, defendunt, alportant, &c. sine dubio haeresis suspecti sunt, quod multis rebus docent Pegna 2. p. direct. com. 3. ad cap. fraternitatis, versic. sed alter casus Martin. Deltio lib. 5. magia sect. 17. versic. etiam Menoch. de praesumpt. lib. 5. praesumpt. 6. n. 18. Farinac. de haresi, q. 180. n. 8. Azor lib. 8. c. 16. q. 10. Quod verum est, etiam si nunquam sic retinentes libros legerint, sic Decian. tra. crim. lib. 5. cap. 37. n. 55. Farinac. n. 20.

6 Sed an haec suspicio leuis, vehemens, violenta sit? vane Doctores, vt videre est in Farinac. n. 9. Pegna direct. com. 3. versic. an autem haec suspicio, Probabilis mihi videtur arbitrio iudicis remittendum esse, qui pro qualitate circumstantiarum

aliquando de leui, aliquando de vehementi, aliquando de violenta suspicione eorum condemnauit, sic Simanc. de Catholicis. In-  
stit. tit. 38. n. 24. Zanch. tra. de haresi, cap. 7. n. 7. Albertin. tra. de agnoscent. assert. Cathol. quest. 28. n. 26. & 30. Menoch. lib. 5. praesumpt. 6. n. 18. Malcard. tom. 2. conclus. 862. n. 7. & segg. Parainus de orig. inq. lib. 3. quaest. 9. n. 147. Pegna, & Farinac. supra. Aduerto tamen aliquando ex retentione, vel alportatione librorum, nullam haeresis suspitionem oriri in recinente, aut alportante, quia probatur per indicia ferè manifesta omnino ignorasse quae uilitate in illorum librorum. Lactius Zech in sum. 1. p. tit. de fide rubr. de haresi, cap. 11. n. 5. versic. tertia praesumptio. Pegnacem illo 3. versic. an haec suspicio, & com. 17. versic. eadem in scriptore, & latore. Farinac. q. 180. n. 9. Quocirca vt sic retinens, vel alportans libros hereticorum suspectus de haeresi sit, & vt talis possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse mala fama, mala vita & conditionis, aut alijs de haeresi diffamatus; sicus vero si bonae vitae, & famae sit, neque unquam de haeresi suspectus, sic Albert. supra num. 25. & 26. Pegna com. illo 3. versic. an autem haec suspicio. Farinac. numer. 48. Malcard. num. 10. Decian. tra. crim. lib. 5. cap. 46. num. 26. in fine & alij.

7 Tandem placet aduertere supradictas omnes poenas intelligendas esse pro fidelibus baptizatis, quia ij solum sunt Ecclesiae subiecti. At Iudaeis non baptizatis si temporalis Christianorum dominio subdantur, prohibiti sunt libri haeretici, & nostram religionem impugnantes, vel eorum falsam perfidiam defendentes iuxta constitutionem Iulij III. edita anno 1554. incipiente, Cum scit, & iuxta constitutionem Gregor. XIII. edita anno 1581. incipiente, Antiqua Iudaorum, Poenae autem pro qualitate criminis arbitrio Inquisitoris imponendae sunt, sic Pegna 2. p. direct. com. 3. ad cap. fraternitatis, versic. postremo, fol. mihi 94. Butarius lib. 1. consil. 90. n. 1. & 2. Simanc. de Catholicis. Instit. tit. 35. rubr. de Iudaeis, num. 1. Farinac. de haresi, q. 180. num. 10.



DISPUTATIO III.

De haresi, & Apostasia a fide.

Superiori disputatione egimus de his, quae communia sunt infidelibus baptizatis, & non baptizatis. In praesenti disputatione agendum est de his, quae specialiter infidelibus baptizatis conueniunt. Ij enim tantum (vt iam diximus) Apostatae dicuntur, qui deserunt fidem solemniter receptam, siue illam deserant, Paganismo, Iudaismo, aut haeresi.

PUNCTUM I.

Quid sit obiectum haeresis, & apostasiae a fide.

- 1 Propositio contraria fidei est haeresis.
- 2 Distinguitur varia contradictio, quae potest esse.
- 3 Propositio haeretici omnimodam contrarietatem habet cum obiecto fidei.
- 4 Propositio erronea contradicit obiecto fidei, non immediate, sed mediate.
- 5 Haeresim sapit propositio, quae per consequentias moraliter certas obiecto fidei contradicit.
- 6 Male sonat propositio simplicem sensum habens, Catholicum, & haeticum, & frequentius in malum accipitur sensum.
- 7 Temeraria quae sine regula rationis procedit.
- 8 Scandalosa, si occasio sit alteri errandi, vel male de suis sentiendi.
- 9 In qualificandis propositionibus etiam committi possunt supradicti defectus.

1 Vt definitionem haeresis, & apostasiae a fide colligamus praemittenda est cognitio obiecti, seu, materia, circa quam ueritatur. Materia ergo, & obiectum haeresis est, quod obiecto fidei immediate repugnat: cum D. Thom. communiter receptus 2. 2. q. 11. art. 2. dixerit haeresim esse, quae fidem corrumpit, infertur sane obiectum haeresis, obiectum fidei corrumpere, illique est contrarium. Ex quo fit quamlibet propositionem ex diametro oppositam propositioni fidei diuina credenda haeresim esse, quia est propositio destruens obiectum fidei, & fidem corrumpit.

Aliquibus placet non sufficere hanc directam contradictio-  
nem fidei, vt propositio haeretica sit, nisi accedat pertinacia in profertente; eo quod contradicere quis potest fidei obiecto ignotanter, quia ignorantia posita haereticus non est: sic docent Caieta

DE  
ASTRO  
YALAY  
TOMI  
II



Caetan. 2. 2. q. 11. art. 1. & ibi Bannes art. 2. Sed laborant in æquiuocatiud enim est loqui de propositione hæretica formalitè, aliud de obiectiua, & materiali. Fateor ergo ad propositionem hæreticam formalem, quæ idem est ac hæresis, requiri pertinaciã; ad ad propositionem hæreticam obiectiuam, seu ad obiectum hæresis, pertinaciã non requiritur, quia hoc obiectum in sola contradictione cum obiecto fidei consistit.

2 Sed quia hæc contradictio cum obiecto fidei, alia est directa, alia indirecta, alia mediata, alia immediata, alia cetera, alia solum probabilis, & secundum apparentiam, propositio fidei contraria distinguitur in hæreticam, erroneam, hæresim sapientem, male sonantem, pijs aures offendentem, temerariam, scandalosam, blasphemam, & similia, de quarum distinctione late agit Calisto lib. 1. de iusta hæreticorum punitione, cap. 3. seqq. Can. lib. 12. de locis, à cap. 8. Turresemata lib. 4. sum de Ecclesiis, 2. p. ca. 8. Simancae de catholicis institutis, 5. 4. Albertin. rit. de agnoscend. assert. fidei, quælibet & seq. Pegna in directis. 2. part. comment. 2. 6. & 27. Caetan. 2. 2. q. 11. art. 1. Bannes art. 2. Lorca disp. 40. Torres disp. 55. dub. 3. Suarez de fide disp. 19. sect. 2. Coninch disp. 18. dub. 8. & constat satis hæc distinctio ex Concilio Constantiensi, sess. 8. in decreto dampnante articulos Vicleph, & sess. 15. in decreto aduersus errores Ioann. Hus, & ex Bulla Pij V. & Gregor. X I I. contra Michaiem Baium.

3 Propositio ergo hæretica est illa, quæ habet omnimodam contrarietatem cum obiecto fidei, alias fidem destruere non poterit: illa autem dici debet, habere omnimodam contrarietatem, quæ negat quod in se, & expressè est à Deo reuelatum. Cum ergo propositio fidei necessariò debeat nisi diuinæ reuelationi, propositio illi contraria negare hoc fundamentum debet, sic omnes Doctores supra relati. Ex qua ratione conuincitur omnem propositionem hæreticam habere æqualem gradum falsitatis, quia quælibet propositio fidei habet æqualem gradum certitudinis: nota enim eius certitudo à diuina reuelatione prouenit, cuius infallibilitas eadem est in omnibus reuelationibus, quia omnes auctoritati diuinæ adherent.

4 Propositio erronea, quatenus ab hæretica distinguitur, est quæ contradicit obiecto fidei non immediatè, sed mediatè, quia non negat obiectum, quod in se est reuelatum; negat tamen obiectum, quod est reuelatum in sua causa. Exemplo rem declaro. Si negares Christum esse risibilem, talis negatio esset erronea propositio, quia negas obiectum, quod in sua causa reuelatum est, licet in se reuelatum non sit; reuelatum namque est Christum esse verum hominem, licet non sit reuelatum esse risibilem. Sed quia ex vno aliud inferitur euidenter, inde qui negaret esse Christum risibilem, erraret in fide. Neque obitat negantem hanc propositionem, quæ vocatur Theologica conclusio, puniri tanquam hæreticum, quia hoc est, quia non præsumitur negare principium illud euidens, ex quo conclusio talis inferitur, scilicet omnem hominem risibilem esse: si autem hoc principium stultè negaret, vel fingeret Deum separasse illam proprietatem in Christo, non hæreticus, sed erroneus esset iudicandus: sic expressè Suarez n. 15. Coninch n. 130. Torres disp. 55. dub. 5. & alij.

5 Propositio hæreticam sapientis quatenus ab hæretica, & erronea distinguitur, & illis minor est, dicitur ea, quæ non per euidenter consequentiam, sed per consequentias probabilissimas, & moraliter certas videtur inferri, dissentire, Christum ibi esse præsentem. At ego dicebam talem propositionem erroneam, vel hæreticam esse; quia contradicit saltem per euidenter consequentiam obiectis reuelatis; reuelatum enim est Christum in Domini in sanctissimo Eucharistiæ sacramento adesse: sed lumine naturæ est notum reuerentiam esse exhibendam sacris rebus. Ergo per euidenter consequentiam inferitur non esse stultum, & inutile venerabile Eucharistiæ sacramentum solemniter reuereri, siquidem est res omnium sanctissima.

6 Propositio malè sonans, vt distinguitur à supradictis, & illis est in maiora inferior, dicitur ea, quæ duplicem sensum proprium habet: alium catholicum, alium hæreticum; sed quia frequenter secundum sensum hæreticum accipitur, absolute prolata malè sonat. sic Lorca illa disp. 40. n. 15. Coninch n. 133. Suarez n. 18. vbi bene aduertit aliquando propositionem esse malè sonantem non ex se, sed ex conditione personæ proferentis, eo quod proferens suspectus sit.

7 Temeraria propositio est, quæ in rebus ad fidem, vel bonos mores pertinentibus sine regula rationis procedit: quomodo documque autem quis procedat aduersus receptam Doctorum sententiam, regulariter præsumere potest, sine ratione procedere, quia debet præsumere tot tantisque viros ei contrarios fundamentum non caruisse, ac proinde cum se illis opponit, vel non

intelligere eorum fundamentum, vel in sua ratione cludi, sic Coninch n. 133. Suarez n. 20.

8 Scandalosa propositio dici potest quælibet ex supradictis: si occasio sit alteri errandi vel malè de fide, sentiendi. Nam cum scandalum sit, quod ruina proximi patat, propositio, quæ alteri occasionem errandi tribueret, merito scandalosa propositio in materia fidei diceretur.

9 Aduerto tamen cum Suarez n. 21. non solum errare posse circa propositionem, sed etiam circa illius censuram. Quare si propositionem de fide, vel theologicam, vel à Doctoribus receptam dicas esse erroneam, vel falsam, vel scandalosam, vel temerariam: errorem committis, vel hæresim lapsi, vel temerarius existis, ac si de facto propositionem negares. Quia viuitur illam negas, & insuper contra rationem nota infamiam illam inuris. Quocirca si aliquam sententiam in scholis probabilis, tu improbabilem iudicares sine fundamento euidenti, temerarius existeres, quia communi sensui Doctorum aduersariis iudicantium, i sententiam illam probabilem esse. Vnde in qualificandis aliorum opinionibus prudentia maxime opus est. Ex quo fit, si Ecclesia definit aliquam propositionem hæreticam, aut temerariam, aut scandalosam esse, cetero de fide tali censura esse dignam: quia alius obligaretur fateri Ecclesiam errare posse in his quæ ad fidem pertinent, contra Paulum ad Timoth. 3. dicentem Ecclesiam esse columnam, & fundamentum veritatis.

PUNCTVM II.

Quid sit hæresis.

- 1 Definitur hæresis & explicatur.
- 2 Sicut hæresis cum ignorantia vincibilis, & crassa. Proponitur variis sententijs.
- 3 Probabilis est quælibet ignorantiam excusare ab hæresi iure Ecclesiastico punita.
- 4 Proponitur quædam obiectio, & soluitur.
- 5 In foro externo allegans ignorantiam non creditur.
- 6 Quid si moueatur ab Episcopo, Inquisitore, vel alio viro docto de suo errore? Reputandus est in foro externo, & interno hæreticus.
- 7 Qua ratione professio fidei excusat ab hæresi.
- 8 Dubitantem in fide voluntariè aliqui exiunt ab hæresi.
- 9 Tenendum tamen est hæreticum esse.
- 10 Satis rationibus, num. 8. adductis.
- 11 Circa obiectum fidei sufficienter propositum opinatiuus assensus haberi potest secundum sententiam Suarez.
- 12 Tenendum est contrarium.
- 13 Sine hæretici dissentio speciali reuelationi sufficienter proposita? Proponitur dubitandi ratio.
- 14 Statuitur hæreticum esse sic dissentientem.
- 15 Incidat ne in panis hæretico coctas, & examinatur?
- 16 Dissentio in fide verbo, vel facto mente illam reprobans non incidit in panem hæreticum: neque est proprie hæreticus. In foro externo alleganti ex animo prauo non factis non creditur.
- 17 Negantem propositionem theologicam, qui existimant hæreticum esse.
- 18 Verius est præsumi.
- 19 Ad committendam hæresim non requiritur baptismus, bene tamen ad hæresim ab Ecclesia iudicabilem.

1 Omissis variis huius nominis acceptionibus, de quibus agunt Doctores itatim referendi, Hæresis, secundum scriptores Ecclesiasticos ab electione dicitur, non bona, sed mala, quia malè elegit, qui relicta vera, probatæque doctrinæ, singularem, & à proprio iudicio inuentam elegit. Committitur in hunc modum definitur, vt sit error voluntarius, & pertinax contra doctrinam, & veritatem fidei Christianæ. sic Cano contra doctrimam, & veritatem fidei Christianæ. sic Cano lib. 12. de locis, c. 8. Coninch disp. 18. dub. 7. Suarez disp. 19. de fide, sect. 1. n. 5. & sect. 3. n. 8. Bonacina disp. 2. de censur. q. 5. n. 1. Farinac. de hæresi q. 17. §. in princ. Expendo singula: est error voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum: est pertinax, quia proprie adheret opinioni, videns aduersari Ecclesie doctrinæ nec paratus est corrigi, & emendari. Et quidem pertinaciam ad hæresim requiritur: sed omnes Doctores affirmant eum August. relato in c. qui in Ecclesia, 24. q. 3. & Concilio Vienensi relato Clem. 1. de sum. Trin. §. 2. variant tamen in eius explicacione. Mihi probabilis apparet pertinaciam erroneam illam esse, qui est ex cognitione oppositiõis cum fide; quia vltimè quis cognoscit assensum suum doctrinæ ab Ecclesia Romana receptæ contrariam, pertinax censeri non debet; polita verò illa cognitione, si proprie opinioni adheret, siquidem resistit Ecclesie adheret, iam pertinax censendus est; siquidem resistit Ecclesie, & per illam non corrigitur. Sanch. lib. 2. c. 7. d. n. 1. Val. 2. 2. disp. 1. q. 11. p. 1. diff. 4. ad 2. Coninch dub. 7. num. 78. & a num. 93. & seq. Bonacina num. 1. Valquez 1. 2. disp. 12. c. 8. & alij.



Pro clariori huius definitionis cognitione sunt aliqua difficultates enodandae. Prima, an cum ignorantia vincibili, & casuali, vel affectata sit peccatum haereticum.

Plures Doctores sentiunt sufficere primo, quia haec ignorantia in furto, homicidio, & aliis delictis non excusat. Ergo neque excusat in peccato haereticis. Secundo, qui vincibiliter, & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem. Ergo peccatum haereticis ergo etiam ex ignorantia culpabili: sic docet Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. post 5. conclus. ca. 1. Lopez. 2. p. instr. 4. cap. 20. tit. de excommunicat. reseruat in Bulla Coena. ca. 1. Lopez. 2. 2. quae. 1. 1. disp. 41. n. 15. Alij imitant hanc sententiam ad ignorantiam ita casualiam, vt facillimo negotio operari possit: Sic Sayr in thesuro casuum. tom. 1. lib. 3. cap. 4. num. 15. reputat prohibere Valent. 2. 2. disp. 1. quae. 1. p. 1. diffinit. 4. post solutionem ad 4. Et si contrarium sequatur. Moruerrant, quia haec ignorantia constituit culpam latam, & videtur seueritate aequalare. Alij vterius limant ad solam ignorantiam affectatam, cum hac dicunt haereticum existere: seclusum cum alia ignorantia. Sic Cano lib. 12. de locis. cap. 9. §. 1. q. 1. Navar. de res. cap. 4. dub. 9. num. 89. in noua edit. §. in 1. dub. 8. num. 108. Valent. supra in solut. ad 1. Corduba lib. 1. q. 9. q. 17. §. 7. Torres de Trinit. q. 32. art. 4. in 2. comment. assert. 1. conuenit Sanchez ex parte lib. 2. cap. 7. num. 23. & Bonacia de censuris disp. 2. quae. 5. num. 7. Quorum fundamentum est, quia si affectus ignorare, affectat errare; sed quia affectat errare, affectat contradicere Ecclesiae. Ergo pertinaciter se illo opponit. Ergo est haereticus. Quapropter solet dici ignorantiam affectatam non minuire peccatum, sed aggravare, & seueritate in omni materia aequalare.

3 Nihilominus probabilius censet, quomlibet ignorantiam etiam affectatam, quae causa sit erroris, excusare a peccato haereticis, cui excommunicatio, aliaque poena Ecclesiastica imponitur: docet hanc sententiam Azor. tom. 1. lib. 8. instr. moral. cap. 14. quae. 9. §. lib. 8. cap. 8. quae. 4. §. cap. 9. quae. 8. Aragon. 2. 2. quae. 1. 1. art. 1. vers. propter hoc argumetum. Bannes art. 2. vers. sed quare quis. Cominch. disp. 18. dub. 7. concl. 4. §. 1. Suarez disp. 19. sect. 3. a num. 9. §. praeceptum n. 18. Farinacius de haeresi quae. 179. num. 29. §. 30. Mouero, quia impossibile est vt voluntarie contradicere Ecclesiae auctoritati, in quo perniciosa consistit, nisi cognoscas Ecclesiam contrariam tibi esse: vt nullis allegatis docet Farinacius de haeresi q. 179. §. 1. num. 1. sed cum ignorantia affectata, quia causa sit erroris, non sic haec cognitio. Ergo non stat pertinacia. Et confirmo si voluntatem habes mutandi sententiam propriam, quoties volens Ecclesiae definitioni contradicere, nullo modo potes dici pertinax in tuo errore; siquidem paratus es corrigi: sed cum ignorantia affectata potest esse talis voluntas. Ergo. Probabilemorem; quia affectat potes necire, quod doceat Ecclesiam, non cogas aliud sentire. Ecce affectas ignorantiam, quae tamen ne obstat, sed potius inlicitum voluntatem obediendi Ecclesiae, cum tibi clare fuerit propositum.

4 Dices, si affectas ignorantiam, ex eo quod parumpendens Ecclesiae auctoritatem, es verus haereticus; quia non es paratus corrigi ab Ecclesia. Item si erras ex affectu liberis errandi, error est summe voluntarius. Ergo ignorantia affectata constituit haereticum.

Respondeo, in supradictis casibus te committere haereticum non in errore procedente ex affectata ignorantia, sed in errore voluntario, qui procedit ex scientia, quo despicis Ecclesiae auctoritatem, hic enim despectus haereticus est, quia est negatio infallibilis auctoritatis. Similiter dico, cum erras ex affectu liberis errandi; aut enim scis te errare, aut ignoras: si scis te errare, scire debes tuum assensum Ecclesiae esse contrarium, & sic cessat ignorantia, & succedit scientia: Si autem ignoras te errare, & ita es affectus errori, vt quamvis scias Ecclesiam in contrarium procedere, non delinquas committes haereticum: Si autem habes voluntatem relinquendi errorem; si cognoscas esse Ecclesiae contrarium, non debet censeri pertinax; & ex his soluantur fundamenta contraria.

Ad tria priora fundamenta, admitto in materia iustitiae, & charitatis, & honestatis, &c. non excusare ignorantiam a peccato proprio contra illas virtutes, quia ignorantia non mutat peccati obiectum, sed modum operandi magis, vel minus voluntarium; & in materia fidei muratur obiectum ex ignorantia, vel scientia; cum enim obiectum fidei sit diuina reuelatio ab Ecclesia proposita, & haec in errore commissio ex ignorantia etiam affectata occultatur, non potest error tunc commissus contradicere tali reuelationi ignoratae ac proinde non potest cum fide habere oppositionem; siquidem non habet cum illius obiecto. Quapropter si bene pendatur error sic commissus; non est peccatum directe contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei; quia tota eius malitia non tam ex errore positio, quam in defectu huius obligationis, ex quo talis error nascitur, consistit.

Ad fundamentum illud de ignorantia affectata, nego affectantem ignorare, affectare directe errare, sed indirecte tantum, quatenus sequitur error ex omissione obligationis sciendi quae sunt ab Ecclesia reuelata. Ex huiusmodi affectu erroris indirecte non sequitur, quod affectet contradicere Ecclesiae formaliter, sed solum materialiter: in qua contradictione formalis stat haereticus, non in contradictione materiali. Ad illud quod addebatur, concedo ignorantiam affectatam non minuire gravitatem peccati in sua specie, nego tamen transferre peccatum ad aliam speciem haereticis, sed relinqui peccatum in specie erroris contrarij obligationi sciendi quid sit reuelatum.

5 Aduerto tamen pro foro externo, errans in fide, si alleget ex ignorantia errasse, non creditur, si error commissus sit in his, quae quis ex officio scire tenetur, vel quae passim, & communiter omnes illius qualitatis sciunt. Vnde Sacerdotes, Episcopi, & alij viri docti errantes in articulis fidei, & praecipuis Decalogi, ex malitia praesumuntur errare, & non ex ignorantia. Sic Menoch. consil. 82. num. 175. Farinacius de haeresi, quae. 179. num. 27. §. 18. Simancas de catholice instit. tit. 27. rubr. de fide catholice. numer. 13. Decian. in tractat. crimin. lib. 5. cap. 37. num. 15. Pegna direct. 1. part. quae. 7. comment. 22. vers. sit secunda regula.

6 Sed inquires primo, an supradictus errans ex ignorantia si moneatur ab Episcopo, vel Inquisitore, vel aliis viris doctis de suo errore, & adhuc perseveret in illo, credens non esse contra Ecclesiae definitionem, vere sit haereticus, & fidem amittat? Alij affirmant, vt videtur est apud Sanchez lib. 2. c. 7. num. 26. Alij negant, quibus adhuc ipse Sanchez motus a ratione, quia sola Ecclesia est regula veritatis, Episcopi vero, & Inquisitores alique viri docti falli, & fallere possunt. Ergo discredens illis, & credens Ecclesiae, non est haereticus, quia non pugnat cum Ecclesia. Breuiter tamen respondeo tam in foro externo, quam interno tanquam haereticum pertinacem reputandum esse, quia satis pertinax ostenditur, qui suo cerebro ductus contemnit Ecclesiae auctoritatem per magistros ipsius declaratam. Illa enim declaratio solemnitas, & publica, qua testantur homines ita grauissimi mysterium illud receptum esse ab Ecclesia, facit euidenciam moralem mysterium illud ab Ecclesia receptum esse. Ergo si euidenciam habes quod sit euidenter credibile quidquid ab Ecclesia Romana proponitur, & discredis mysterio sic propositis; vere, & in rigore Ecclesiae auctoritati contradicis. Alias nullus esset censendus haereticus, quia nullus est qui Ecclesiae vere, & a Christo instituta non intendat credere, sed quia huic intentioni censetur contradicere cum negat quae illi proponuntur esse recepta ab Ecclesia Romana ideo haereticus iudicatur. Adde rarum esse, cui Ecclesia Romana immediate mysteria credenda proponit, sed proponit medijs Episcopis, pastoribus, & Doctoribus. Ergo si mysteriis ab iis propositis non teneris credere fide diuina, nunquam teneris credere. Denique in foro externo iudicandus esses haereticus, & pertinax, si mysteriis ab Episcopis, & Inquisitoribus propositis dissentires, vt tradit Bart. tutor. §. tutores, n. 1. ff. de suspensio tutoribus. & ex illo Rebuff. praxi beneficiaria in Bulla Coena. excommunicat. 1. art. 1. verbo haeresi. vers. quare quis. Vgolin. de censuris Pontifici refermat. 2. p. c. 1. §. 1. n. 1. Pegna direct. 1. part. comment. 26. ad q. 12. & alij ab eisdem relati. Ergo etiam in foro interiori censendus es haereticus, quia illud iudicium non nititur aliqua falsa praesumptione, sed veritate, qua iudicatur dissentientem mysteriis sic propositis Ecclesiae auctoritatem voluisse contemnere. Neque obstat ratio in contrarium; concedo namque neminem praeter Romanum Pontificem esse regulam veritatis, sed non obinde inferitur te non esse obligatum credere, quae tibi viri docti proponunt, quia non obligaris credere tanquam ab ipsis proposita; sed tanquam proposita ab Ecclesia medijs illis viris doctis, quos Ecclesia vt procuratores suos assumit, quare illi non solum tibi proponunt mysteria credenda, sed proponunt tibi esse ab Ecclesia Romana proposita; & cum in hoc secundo nulla possit esse mortalis dubitatio: fit sane te sic dissentientem, dissentire Ecclesiae pro omissione sufficienter manifestata, ac proinde haereticum esse, & ita docet Suarez disp. 19. sect. 3. num. 11.

Aduertit tamen bene Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. n. 26. cum Tolet lib. 4. sum. cap. 3. num. 8. & tradit Farinac. de haeresi q. 179. §. 2. num. 14. facillius hominem doctum pertinacem haereticum esse iudicandum, si dissentiat mysteriis fidei propositis, quam hominem rusticum, qui ignorare facile potest regulas fidei, & obligationem credendi.

7 Sed inquires secundo, an protestatio pertinaciam excludat? Pono protestationem fidei esse fidei professionem: sic ex communi sententia docet Simancas de Catholice. instit. tit. 55. rubr. de protestatione n. 3. Albertin. in tract. de agnoscent. assert. Catholice. §. haeret. quae. 12. n. 2. Pegna direct. 1. part. q. 12. comment. 26. vers. protestatio. Haec autem fidei protestatio excusatur protestantem, si postea haereticum committat, ne praesumatur commississe scienter, & cum pertinacia. ex text. in cap. dixit Apostolus. 24. quae. 3. §. ibi glossa. verbo pertinaci & tradit Albertin. num. 6. Simanc. num. 4. Farinac. de haeresi, quae. 178. num.

DE  
ASTRO  
ALAC  
TON



n. 150. & alij ab eisdem relati. Sed hoc intelligendum est, cum verba sunt dubia; aut materia circa quam erratur, obicere, & cuius non præsumebatur notitia: scilicet verò si notitia præsumebatur; tunc enim protestatio ab hæresi non excusat, quia facta ipso protestationem dissolvit: aliàs omnes hæretici excusari possent, cum facillime negotio possent hanc protestationem facere, & sepe faciunt, vt sic suavis animos simplicium pervertant. sic Pegna, Symancas, & alij, quos refert, & sequitur Farinac. *soto illo §. 7. n. 138.*

8 Secunda difficultas est circa illam primam particulam definitionis, in qua dicitur hæresim esse errorem voluntarium. An, inquam, dubium voluntariè habens de fidei mysteriis censetur hæreticus? Dixi, dubium voluntarium: nam sæpe contra voluntatem dubitationes de fide insurgunt, quæ non destruunt fidem, sed potius sunt occasiones illam augendi? Signum autem moraliter evidens te his moribus non consentire, est, si tædio officiaris, cum insurgunt, vel recedant. Quocirca aptior modus resistendi his moribus est illis non respondere, sed potius temere, & pro nihilo habere: sic omnes Doctores statim referendi. Quare difficultas solum est de dubio voluntario circa mysterium fidei tibi sufficienter propositum?

Quidam negant sic dubitantem hæreticum esse: ita Canus *lib. 12. de locis. c. 9. versic. controuersantur autem.* Maldet. 2. 2. *q. 11. art. 2. membr. 2. §. respondeo.* Mouetur, quia hæreticus est qui eligit, siue sequitur opinionem fidei contrariam: at qui dubius est quam partem eligat, cui assentiatur, dici non potest eligere opinionem fidei contrariam. Ergo non est hæreticus. Et confirmo. Qui dubius est, an fidei mysteriis assentiatur, indifferens est illis assentiri, vel dissentiri. Ergo non magis dici potest contrariari fidei, quam fidem amplecti. Secundo fides importat positium assensum intellectus. Ergo hæresis, quæ illi est contraria, positium dissentium importare debet, sed dubium assensum, vel dissentium excludit. Ergo dubium non est hæresis. Huic sententiæ ob has rationes consentit Tho. Sanch. *lib. 2. in Decal. cap. 7. n. 12.* fauet Eman. *Saa verbo hæresis. n. 1. in 1. editione,* vbi dicit dum quis dubitat, non est censendus hæreticus; in dubio enim non est propriè pertinacia. Limitat autem suam sententiam Thom. Sanch. & Maldet. *suprà. membr. 4. vers. nota tamen,* vt intelligatur quoties intellectus per pensis rationibus pro vtraque parte suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet; scilicet verò si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret rem esse dubiam, aut sub opinione; nam in tali iudicio hæresim committeret, & paulo inferius subdit hoc iudicium moraliter loquendo semper cum dubitatione circa res fidei coniungi.

9 Cæterum tenenda est communis sententia dubitantem delibere de rebus fidei sibi sufficienter propositis esse hæreticum: sic docent plures relati à Sanchez. *n. 11.* & tenet Suarez *de fide disp. 19. sect. 4. n. 10.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. conclus. 6. num. 102.* Bonacina *disp. 2. de censur. quæst. 5. punct. 1. n. 3.* Prosper. Farinac. *de hæresi, q. 178. §. 4. n. 90.* vbi innumerat refert August. Barbofa *de potest. Episc. allegat. 40. n. 16.* & est decisio textus in *c. 1. de hæreticis,* vbi ad litteram dicitur, *dubius in fide infidelis est.* Neque intelligi potest de infidelitate negatiua, quia hæc solum est in eo, qui fidem non recipit: qui autem baptizatus est, infidelitatem negatiuam habere non potest, sed positiuam; quia non potest amitti fides, nisi per actum fidei contrarium. Item probari potest ex Concilio Vicensi relato in *Clement. 1. de summa Trinitate, & fide Catholica, §. porro,* vbi vertens in dubium, an anima rationalis sit forma humani corporis, & in eo pertinaciter hærens, hæreticus censetur, eiusque doctrina inimica Catholice Religionis. Idemque traditur in Concilio Lateranensi à Leone X. *sess. 8.* Neque valet dicere hæc decreta loqui de præsumptione fori extremi, quia non solum de dubitante, sed etiam de ipsa doctrina loquuntur suprascripta decreta, & dicunt esse contrariam Catholice fidei: at in Doctrina non potest admitti præsumptio, sed veritas. Ratione manifestè probatur, quia tunc deliberatè, & peccaminosè dubitas de rebus fidei, cum iudicas res fidei non esse dignas certò, & infallibiliter credi, sed iudicare deliberatè res fidei tibi sufficienter propositas non esse dignas certò, & infallibiliter credi, est hæresis manifesta. Ergo si deliberatè dubitas de rebus fidei, hæresim committis. Dilectus est legitimus, & sola maior propositio indiget probatione, quam sic probo. Ponamus tibi representari obiectum fidei, & rationes, quæ ad eius assensum sufficienter mouent, tempore quo non obligaris fidei actum eligere, abque vlla culpa potes suspendere actum. Ergo suspendere actum fidei non est dubitare de fide. Ergo ad dubitationem peccaminosam, & voluntariam aliquid amplius requiritur. Sed hoc esse non potest, nisi iudicium, quo iudicas obiectum illud sic tibi representatum non esse dignum certò credi; sed esse dubium, & incertum: neque enim apparer, in quo aliud possit consistere. Ergo. Et confirmo: circa obiectum tibi certissimum, potes inuestigare rationes pro vna, & altera parte absque villo assensu, vel dissentio; neque ex tali inuestigatione argui potes dubitare circa illud; aliàs sæpissime Sancti dubitarent de mysteriis reuelatis. Ergo ad dubitationem assensus, vel dissentio suspensio non sufficit, sed requiritur insuper iudicium, quo iudicetur obiectum illud

dubium esse, & incertum, & indignum certa credulitate. Deinde dubitans de fide fidem destruit; hoc enim necessitudo in homine fidei firmiter in credendo supponit, iuxta illud Athanasij symbolum. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crederit, saluum esse non potest;* sed fides non destruitur nisi per infidelitatem positiuam, hæresim scilicet, paganisimam vel Iudaismum. Ergo talis dubitatio hæresim, paganisimam, vel Iudaismum continet.

10 Ex his fit satis argumentis contrariis. Fateor namque dubium non includere assensum, neque dissentium circa veritatem obiecti, de quo dubitatur; quia neque assentiris ita esse, neque dissentiris illi, sed prorsus suspensis actum: cum hac suspensione stat optimè te habere iudicium, quo iudices illud obiectum non esse omnino certum, sed dubium, quod iudicium necessitudo debet habere, vt verè dicaris de illo obiecto peccaminosè dubitare; ac proinde nunquam dari potest dubium sine positiuo actu, & errore.

11 Tertia difficultas est, an circa obiectum fidei tibi sufficienter propositum possis opinionem habere? Suarez *disp. 19. sect. 4. n. 16.* sub distinctione respondens ita opinatè obiecto fidei assentiris, vt per actum reflexum iudices obiectum fidei non esse dignum firmiori assensu, tale iudicium hæreticum est: si autem abstitas à tali iudicio, potes de obiecto fidei opinionem habere, considerans solum motium humanum, vel rationem probabilem. Mouetur primo, quia credere fidei obiecto ob motium humanum non est peccatum; sed potius frequenter vitatum à fidelibus, quia talis creditus cum fide non pugnat: ea enim de causa diximus cum fide posse esse opinionem. Item talis assensus opinatiuus, non est error, sed potius veritati conformis. Ergo. Maldet. 2. 2. *q. 11. art. 2. membr. 2. §. obicitur tertio,* dicit te peccare si pertinax adhaeres assensui opinatiuus, non tamen esse hæreticum.

12 Cæterum tenenda est communis sententia assentens te non posse de obiecto fidei sufficienter proposito opinatè assensum habere; quin sis formaliter hæreticus. sic docet Azor. *tom. 2. lib. 8. cap. 9. quæst. 6.* Calisto *lib. 1. aduersus hæreticos. c. 10. inr.* Aragon. 2. 2. *q. 11. art. 2. dub. 2.* Lorca *ibid. disp. 42. num. 7.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. n. 105.* & videtur clara sententia D. Th. *1. part. quæst. 32. art. 4.* & D. Augustin. *lib. 8. de Trinitate, c. 5.* vbi loquens de beatissima Virgine inquit: Itaque salua fide licet dicere, fore talem habebat faciem, fore non talem; fore autem de virgine natus est Christus, nemo salua fide Christiana dixit. Ratione autem probatur. Nam assensus opinatiuus de aliquo obiecto necessitudo indicat obiectum ita esse verum, vt possit esse falsum, vel contra, quia iudicat obiectum non esse omnino certum. At talis assensus includit errorem in fide. Ergo non potest esse, cum obiecto fidei sufficienter proposito.

Neque obstant contraria. Concedo te posse assentiri mysteriis fidei sub aliqua ratione probabili, qualis est dictum alienius hominis: nego tamen te habere tunc opinatè assensum de illo mysterio absolute: non enim iudicas absolute illud mysterium probabile esse, seu non esse omnino certum, sed indicas in actu exercitio non esse omnino certum ex vi illius rationis, quæ actus contrarius fidei non est, quia eius probabilitas potius circa rationem motiuam versatur, quam circa mysterium, quod rationi motiuæ subest. Quapropter semper dixi te non posse habere opinionem de obiecto fidei absolute sumpto, & tibi sufficienter proposito fidei diuina credendo.

13 Quarta difficultas est an dissentiens speciali reuelationi tibi sufficienter ad credendum propositæ hæreticus sis & punibilis ab Ecclesia? Ratio dubitandi est, quia sic dissentiens non est Ecclesie Catholice contumax, siquidem ipsa Ecclesia talem reuelationem credendam non apponit. Ergo non est hæreticus; ergo neque punibilis: & ita tenet Lorca 2. 2. *q. 11. disp. 39. n. 2. §. 4.*

14 Nihilominus dicendum est, te fore hæreticum, si reuelationi diuine tibi sufficienter propositæ dissentias, sic docet Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 9. quæst. 4.* Sanchez alios referens *lib. 2. c. 7. n. 32.* Coninch. *disp. 18. dub. 7. n. 118.* Suarez *disp. 19. sect. 5. n. 11.* Ratio est, quia tota malitia hæresis sita est in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ: qui enim sic discedit, quod prima veritas dicit, mendacem Deum facit; at qui discedit reuelationi speciali, eodem modo primam veritatem contemnit, & mendacem Deum facit, quia Deus idem est, siue publicè, siue particulariter reuelans. Ergo est hæreticus. Neque hæresis necessitudo petit contumaciam aduersus Ecclesiam formaliter, sed aduersus Deum reuelantem.

15 An verò hic hæreticus incidat in excommunicationem & alias hæreticorum penas? Sanchez *n. 32.* & Coninch. *n. 40.* existimant incidere, si in actum extremum prodeat: quia licet Ecclesia non proponat illam veritatem credendam; at proponit credendam summam, & primam veritatem reuelantem, cui propositio obstitit negans illam reuelationem: & confirmat Sanchez exemplo illius, qui negare aliquid, existimans esse ab Ecclesia propositum, cum tamen non sit, qui verè hæreticus esset, & penas incurreret.

Cæterum credo ob solum dissentium specialis reuelationis non



non posse aliquem pœnis Ecclesiasticis puniri. sic Azor tom. 1. lib. 8. c. 9. q. 4. Cordub. lib. 1. q. 17. §. 1. dub. 2. vers. respondet magister Sanchez disp. 19. sect. 5. n. 12. Mousco; quia nihil videtur impossibile eadem dissentium manifestari posse esse contrarium fidei; cum enim supponamus revelationem illam esse specialem, neque alteri cognitam præter illam, qui illam habet, quomodo constare potest aliis, cum tu dissentis revelationi, vix discutere, erat enim ad huiusmodi manifestationem omnino necessarium revelationem clare cognosci. Dixi, ob solam dissentium specialis revelationis: si dissentus est non revelationi speciali, sed generali; & à tota Ecclesia proposita? clarum est sic proferentem incidere in pœnas iuris, modo dissentium manifestus sit. Vnde qui diceret primæ veritatis per præsentiam revelationem manifestatæ non esse credendum, hæreticus punibilis ab Ecclesia esset quia negat propositionem à tota Ecclesia receptam. Idem dicendum in casu quo quis negaret aliquam propositionem, putans esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non est, licet hæreticum committat, vt bene dicit Sanchez supra n. 30. & Tar nac. de hæresi. q. 179. §. 1. n. 2. q. si manifeste se nolle credere, quod ex iuramento ab Ecclesia esse definitum, pœnas non incurrit, & tradit expressè Suarez disp. 11. sect. 2. num. 10. vbi apponens signa, quibus hæreticus exterior constituitur, dicit: Si quis veram propositionem credit cum animo deliberato non credendi contrarium, et si Ecclesia illud definit, quam rem creditam externis proferat, si animus suum non declarat, non incurrit excommunicationem, quia nondum est hæreticus exterior.

16 Quarta difficultas est, est an negans silem verbo, vel facto tantum, interius retinens assensum, committat hæresim punibilem ab Ecclesia? Concedunt aliqui, quia Ecclesia non iudicat de occultis intentioni, sed de exteriori actu, sic Ca. et. tra. 2. q. 12. a. 2. sine. Ceterum tenenda est communis sententia negans hunc esse hæreticum, pœnaque incurrere. Quod autem hæresim non committat est manifestum, quia hæresis est peccatum fidei oppositum: fides autem consistit in voluntario assensu intellectus diuinae revelationi. Ergo hæresis debet necessario consistere in voluntario dissentiu illius. Ergo cessante dissensu intellectus, cessat peccatum hæresis formaliter. Ex quo fit cessare etiam d-bere pœnas hæreticis impositas, quia pœna non sunt extendenda ad alia delicta, præter ea, quibus imposita sunt, & ita tenet pluribus relictis Sanchez lib. 2. c. 7. n. 8. Lessius lib. 2. c. 43. dub. 2. n. 1. Suarez 5. tom. in 3. part. disp. 4. sect. 2. num. 2. c. q. disp. 21. sect. 2. num. 3. c. de fide, disp. 14. sect. 2. n. 3.

17 Aduerto tamen pro foro externo hunc sic negantem verbo, vel facto fidem, si non credit allegari se fecisse absque intentione; quia ita aduersus illum præsumptio, cum nemo seio præsumitur dicere, vel facere, nisi quod sentit. Aliàs si exculatio hæc hæreticis prodesset, omnes impuniti euaderent, liquidum facillimo negotio hanc posset exculpationem assuamere, Simancas de cathol. instit. tit. 13. n. 15. Repert. inquisit. verbo probatio, vers. nota Rojas tract. de hæresi. 1. part. n. 304. c. segg. Farinacius de hæresi. quest. 179. n. 55. c. segg. vbi concludit: Doctores hinc inde adducti reum si delictum confiteatur, & intentionem neget, torquenda in esse super intentione, & non relaxanda; secus ve d' si non solum confiteatur delictum, sed de illo fit conuictus: tortus autem super intentione, si negans persistit, non est indicenda purgatio, & ablatio, si sufficiens tortus fuit; secus ve d' si non fuit sufficiens tortus, quia per toturatum iud. cia pu. gant. sic tradit Farinac. supra num. 51. iunctis iis que dicit q. 185. n. 126. c. segg. Simancas de cathol. instit. tit. 5. v. rubr. de purgat. canon. n. 17. Pegna direct. 3. part. v. de tertio modo terminandi processum n. 17. comment. 39. litt. l. c. part. 2. comment. 14. ad c. non sollicitud. de purg. c. d. vers. atqui ex hac interpretat. onse.

18 Sexto difficultas est, an negans propositionem theologicam committat hæresim, vel quod peccatum sit. Aliqui affirmant hæresim committere, quia scilicet mediate diuinae revelationi opponitur, sic Valent. 2. 2. disp. 1. q. 11. part. 1. dist. 3. Cano lib. 12. de locis theolog. c. 9. col. 15. vers. enim verbi. Bonacina disp. 2. de censur. quest. 5. n. 5. vbi licet in princ. numerum dixerit hunc præsumi, in fine dicit excommunicationem contrahere.

19 Tenendum tamen est hæreticum non esse, bene tamen præsumi, sic Azogon 2. 2. q. 11. art. 2. vers. hu tamen non obstantibus Sanchez lib. 2. in Decalog. c. 7. n. 33. c. 8. n. 12. Suarez disp. 19. de fide, sect. 2. n. 10. 3. c. segg. Ratio prioris partis est, quia stare optime potest, vt quis credat quidquid à Deo reuelatum est, cum negatione alicuius propositionis theologice, eo quod sibi non videatur rectè deduci, ex principio reuelato, & euidenti, vel ex eo quod principio euidenti non assentiat. Ergo negare propositionem theologicam non est hæresis. Adde hæreticus esse non potest, nisi dissentus obiecti reuelati. Conclusio theologica non est reuelata. Ergo eius negatio non est hæresis. Si autem inquiras, in qua peccati specie debeat consistere? Mihi probabilius apparet per se, & formaliter ad vitium curiositatis studiose appositum in materia omnium grauiusima pertinet; quæ tamen, & imprudenter conatur scire contra id, For. de Castro Sum. Mor. Part. I.

quo ab omnibus receptum est per accidens tamen ad hæresim pertinet, quia in proximis periculo labendi contra fidem negans inducitur. Secunda autem pars conclusionis quod scilicet negans propositionem theologicam præsumatur hæreticus, v. d. t. manifesta, quia nemo præsumitur negare propositionem theologicam, ex eo quod principio euidenti, & illatione euidenti non assentiat, sed ex eo quod non assentiat principio supernaturali fidei. Quapropter si in illa negatione persistit, tanquam hæreticus negans principium reuelatum, est puniendus, vt bene Sanchez lib. 2. in Decalog. cap. 8. num. 12.

20 Septimo difficultas est, an ad hæresim punibilem ab Ecclesia requiratur baptismus? Dixi, ad hæresim punibilem; nam ad hæresim credo tanquam certum baptismum non requiri, cum enim tota malitia hæresis sita sit in dissentiu alienius veritatis reuelatæ, & hunc dissentium æque habere potes, siue baptizatus sis, siue non; manifeste sequitur ad hæresim baptismum non requiri. Adde ex recepta sententia, vt in superioribus disputationibus diximus, tres tantum species inveniuntur infidelitatis; hæresis, paganismus, & Iudaismus: sed qui confiteretur, & negat pius iacramenta: quamvis baptizatus non sit, non est Iudeus, neque paganus. Ergo est hæreticus. Ergo ad hæresim baptismus non est necessarius.

At licet ad peccatum hæresis baptismus necessarius non sit, est tamen necessarius, vt hæresis, Iudaismus, & paganismus punibiles sint ab Ecclesia, sic docet Azor tom. 1. lib. 8. in si. ut. moral. cap. 9. quest. 3. Simancas de cathol. instit. tit. 31. num. 6. Suarez 5. tom. d. e. n. surs. disp. 21. sect. 2. n. 4. c. de fide disp. 19. sect. 5. num. 8. arch. 2. lib. 2. c. 7. n. 34. Farinac. inuincibile refrens de hæresi. q. 178. a. num. 128. 131. c. 135. Ratio est manifesta, quia baptismus est ianua, per quam in Ecclesiam quis ingreditur, & eius iurisdictioni subditur. Quapropter Concilium sess. 4. cap. 2. dixit Ecclesiam in neminem excommunicatum, qui non pius in eam per baptismum ianua fuerit ingressus. Ergo cura Ecclesia iurisdictionem non habeat in non baptizatos, non potest illos punire. Ex quo fit, si catechumenus à fide, quam intendebat suscipere, recedat; non posse eius peccatum ab Ecclesia puniri, quia verè non fuit in Ecclesiam ingressus, & tenet Azor, Suarez, Sanchez, Simancas Farinacius supra. Quod si baptismum susceperit, sed invalidum ex defectu formæ, materæ, ve intentionis, aique existimant sic recedentem à fide puniri per Ecclesiam possunt, quia iam ex vauitate videtur subiectus, & quasi obligatus mandatis Ecclesiæ parere, sic Simancas de cathol. instit. tit. 31. n. 5. Gabr. 4. distinct. 13. quest. 2. art. 1. vers. recta ierid. Alphonsi de castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione c. 8. Azor tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 1. vers. si quæras Farinacius de hæresi. q. 178. §. 6. n. 135. Contrarium tamen est omnino tenendum, quia si baptismus invalidus fuit, neque imprimi characterem, neque constituit recipientem membrum Ecclesiæ, v. s. lib. 1. alias non esset repetendus. Ergo neque potest Ecclesiæ iurisdictioni subiecte recipientem. Et confirmo, si d' baptizatus verè est extra Ecclesiam, quia est extra verum baptismum, si cto autem baptismi non potest esse ingressus in Ecclesiam, sed verus baptismus. Quapropter ad hæresim, paganismum, vel Iudaismum ab Ecclesia punibilem, necessarius requiritur, vt hæreticus, paganus, vel Iudeus pius receperit fidem in iacramento baptismi; & ita tenet Sanchez alios refrens, illo c. 7. num. 34. Suarez locis citatis. Quocumque autem modo verè recipiatur baptismus, si iam fuerit per metum, & iniuriam, iurisdictionis Ecclesiæ, manet sic recipienti subiectus, quia verè est iuxta Ecclesiam, & membrum visibile illius: est textus expressus in cap. maiores, §. nunc autem. vers. si opponitur, de baptismo. cap. contra Christianos de hæreticis, in 6. & tradit Pegna direct. 2. part. quest. 44. comment. 69. vers. iam qua. Repert. inquisit. verbo baptismus, vers. vtrum qu fuerit baptizatus, c. in verbo cogenti, vers. nunc autem & multis allegatis docet Farinacius de hæresi. quest. 178. §. 6. n. 141. c. 142.

PUNCTUM III.

An omnis hæresis, aut apostasia pœnis Ecclesiæ subiecta sit, & quotuplex sit hæreticus.

- 1 Hæresis interius tantum consummata pœnis Ecclesiæ non subicitur, vt probabilior sententia fert.
- 2 Debet manifestari exteriori verbis, vel factis sufficienter hæresim exprimentibus.
- 3 Quibus in casibus non debet censeri hæreticus exterior.
- 4 In quibus reputandus est hæreticus.
- 5 De diuisione hæreticis in affirmatiuum, & negatiuum.

1 Circa primum punctum controversia grauis est inter Doctores, an sufficiat hæresis, & Apostasia parè metali;

DE  
ASTRO  
ALAC  
TONI



quæ in corde consummatur ad incurtendas penas iure Ecclesiastico introductas. Diuisi sunt Doctores, alij affirmant, alij negant, quos accuratè refert Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 8. n. 1. & segg.* Suarez de fide, *disp. 21. sect. 2. num. 2.* Farinacius de hæresi, *q. 192. §. 1. à num. 4.* August. Barbosa *2. part. de potestate Episcopi, alleg. 40. à num. 6.* Verior mihi semper via est sententia negans hæresim interiori actu consummatam subijci Ecclesiæ iurisdictioni; quia cum talis actus visibilis non sit, Ecclesiæ iurisdictioni subijci non potest. Item Ecclesia non potest de illo iudicare. Ergo neque potest illum punire. Quod si hæresis interior in exteriorem actum prodeat, quamvis occultissimum, & nemini alteri à committente notum, Ecclesiæ iurisdictioni subijcitur, & penas à iure statutas contrahit, quia tunc ille actus per se cognoscibilis est ab Ecclesia, & solum per accidens ex defectu testium, qui abfuerunt, non cognoscitur. sic Simancas de catholicis institutis, *tit. 42. rubr. de oculis, num. 1. & segg.* Bannes 2. 2. *quest. 1. art. 4. vers. secunda conclusio.* Greg. de Valent. *lib. 3. vers. sed anima durtendum* Farinacius de hæresi, *q. 192. §. 1. num. 6.* Sanchez *lib. 2. in Decal. c. 8. n. 2. & segg.* August. Barbosa *2. part. de potestate Episcopi, allegat. 40. n. 9. & 10.* Suarez *num. 6.*

2. Quæ autem sint verba, vel facta hæresim interiorem manifestantia, bene explicat Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 10. quest. 4. §. 6. & 7. & segg.* Thomas Sanchez *lib. 2. cap. 8. à n. 6.* Bannes 2. 2. *quest. 1. art. 4. quest. 2. concl. 3.* Suarez *disp. 21. sect. 2. à num. 8.* Breuiter dici potest necessarium esse, vt verba, vel facta sint satis expressiua interioris hæresis, siue hanc expressionem habeant à se, siue ex circumstantiis adiunctis, & ex qualitate personæ; quia hæresis externa cognoscibilis, & punibilis constituitur non potest, nisi signis illam sufficienter, & integrè declarantibus. Secundo est necessarium vt signa, quibus hæresim profiteris, sint in materia hæresis peccatum graue, quia hoc solum est, quod excommunicatione, aliisque penis punitur; sic pluribus relatis docet Sanchez *lib. 2. c. 8. n. 7.* Suarez *disp. 21. sect. 2. à num. 9.* Eman. Saa *verbo excommunicatio Bullæ, n. 2.*

3. Has conditiones pluribus exemplis, & casibus specialibus supradicti Doctores explicant, quos omnes longum esset, & ferè impossibile recensere; si enim supradictæ conditiones bene pendantur; facili est de omnibus iudicium ferre. Claritatis gratia difficultiores percurram. Et in primis certum est, si verba, vel facta indifferentia sint, & ex quibus præcisè sumptis non potest colligi hæresis interna, te hæreticum exteriorem non esse, vt contingit, si credens non esse sacramenta, proferas tantum, *verè non sunt*; quia hæc verba præcisè non denotant hæresim illam mentalem, in hoc enim omnes conueniunt. Et idem est de factis, si credens, iurare saluum ob amicum, aut simplicem fornicationem non esse peccatum, & de facto iures, vel forniceris, iuramentum vel fornicatio non declarat sufficienter tuam hæresim mentalem, cum sæpè ex malitia, & voluntate hominibus placendi, satisfaciendique voluptati fiant: sic omnes relati Doctores. Subdunt tamen si verbis ambiguis, & æquiuocis hæresim interiorem pronuntiares, vt sic perueritatem tuam melius occultares, te fore hæreticum externum, quia illa verba sufficienter manifestant hæresim, & ambiguitas solum dederit dissimulationi, quæ non videtur diminuire culpam, sed aggravare, sic Suarez *num. 10. in fine.* Sanchez *num. 26.* Bonacina *disp. 2. de censuris q. 5. punct. 1. num. 6.* At hoc crederem intelligendum esse, cum verba non sint perfectè ambigua, sed in malam partem communiter accipiuntur, aut ita accipienda esse, obligant aliquæ circumstantiæ. Nam si verba, quæ bonum, & ac malum sensum habent, & ex qualitate proferentis, aut aliis circumstantiis ad malum sensum determinari non possunt; non video qua ratione eorum prolatio hæresim externam, & cognoscibilem constituat, præsertim cum recepta sit Doctorum sententia, verba, vel facta, quæ duplicem sensum habere possunt, Catholicum, & hæreticum, interpretanda esse in Catholico sensu, vt aliis relatis docent Rojas *in tract. de hæresi p. n. 200.* Farinac. *q. 187. n. 11. & segg.* Rursus non es hæreticus exterior, si credens non esse Christum in sacramento Eucharistiæ, hunc interiorem actum Confessori vel amico gratia petendi consilium manifestes, quia illa manifestatio non est peccaminosa, sed bona, & laudabilis, neque est formaliter confessio hæresis, sed narratio hæresis interioris; sicut si alterius hæresim narretes: sic docuit Suarez *n. 10.* Sanchez *n. 19. & 25.* August. Barbosa *alleg. 40. n. 18.* Bonacina *suprà n. 7.* Vt cum si ex complacentia in hæresim, hæresim manifestes, tenet August. Barbosa *n. 19.* te fore hæreticum externum, sed credo distinguendum esse, vt distinguit Sanchez *n. 21.* si enim complacentia manifestetur, & ex illa denotes te in presentem supradictò mysterio fidei dissentire; clarum est te fore hæreticum externum: at si solum manifestes te aliquando consensisse, & illius consensus habere complacentiam, non es hæreticus externus, quia illa manifestatio non est hæresis professio, sed narratio hæresis habitæ, quia cum compati fides potest. Vnde Eman. Saa *verbo excommunicatio Bullæ Cœnæ num. 2. in edit. Rom.* dicit, hæreticus non est, qui petit consilium, aut refert hæresim, aut transcribit, etiam si illam interim

mente teneat. Item non es hæreticus externus, si in somno, vel ebrietate hæresim interiorem proferas, quia illa prolatio non est voluntaria hæresis professio. sic Suarez *n. 12.* Sanchez *n. 24.* Pegna *director. 3. part. comment. 17. pag. mihi 420.*

4. E contra tunc debet censeri verus hæreticus exterior, quando verbum proferis, vel opus facis, aut omittis, ex quo hæresis suspitionem gignis: sic alios referens docet Sanchez *n. 15. & 16.* quia tunc sufficienter hæresis manifestatur, aliàs ratio hæretici diceretur manifesti, si hæc verba, vel facta non sufficienter. Ex quo fit, si ritus, & ceremonias, aliæque opera facias, vel omittas, quæ communiter soli hæretici, vel apostatantes à fide faciunt, vel omittunt, hæreticus exterior presumendus es. Quocirca si cum ex genere Iudæorum sis, festiuitates, Iudæorumque ieiunia obseruas, cum Iudæis conuersis, Christianis veteres fugis, nomine Iudæo vtaris, ad Iudæissimum præsumis transisse. De his signis latè agit Repert. *Inquit. verb. cognoscuntur. & verb. committit.* Pegna *direct. 1. p. q. 44. com. 69.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 15. n. 5. & 6.* Farinac. *de hæresi, q. 178. §. 6. n. 138.* Menoch. *lib. 2. de arbit. casu 547.* Item est sufficienter hæresim præsumptio, si matrimonio copulatus scienter alteri nubis; eaque de causa, de hoc crimine inquisitor cognoscunt, & de leui suspitione abintare reum faciunt, sic pluribus relatis docet Farin. *q. 178. n. 68.* Pegna *2. p. direct. q. 56. com. 81.* Menoch. *de præsum. lib. 5. præf. n. 37.* Quocirca si culpabiliter credens licitum tibi esse vtas vxores ducere, & duas à hæresim sufficienter manifestas. Item si deus prohibitis carnes comedas, nulla habita occasione, suspicte videris reddi de præceptis Ecclesiæ non bene sentire; ac proinde, si non bene sentiens carnes comedas, in hæresim interiorem incidis. sic Sanchez *n. 15.* Pegna *in add. ad Eym. direct. 2. p. ad c. 1. de hæresi fol. 87. vers. si peccatores* Farin. *q. 178. n. 80.* Repert. *Inquit. verbo cognoscere vers. sed an iudex.* Dixi iam habita occasione; nam si aliqua præterditi potest, cessat præsumptio, & manifestatio hæresis. Parit. *conf. 169. n. 67.* Farin. *n. 80.* vide omnino Pegna *direct. 3. p. vbi de signis, quibus professores variatum sectatum cognoscuntur, eruditè agit à comment. 23. num. 109. & segg.*

5. Circa secundum punctum, quotuplex fit hæreticus, aut apostata à fide 3. communiter Iurisperiti duplicem esse dicunt, affirmatiuus vnus, alius negatiuus. Hæreticus affirmatiuus est, qui hæresim interius concepit verbo, vel opere manifestat. Negatiuus, qui de hæresi legitime conuictus hæresim negat. sic Repert. *Inquit. in verb. hæreticus, num. 35. & vers. hæreticus negatiuus.* Farinacius plures referens de hæresi, *quest. 178. §. 1. num. 19. & 20.* Circa quam diuisionem aduerto requiri, vt quis tanquam hæreticus negatiuus condemnatur, & curiæ seculari puniendus tradatur. Primo quod veris, vel factis claris, & parentibus hæresim manifestauerit. Secundo quod talis manifestatio per testes contestes, & omni exceptione maioribus conuincatur. Nam his duobus statutis, si quis negat hæresim, conuincitur nolle relinquere illam, sed impetentibus existere; si quidem illam negat, ne abintare cogatur, sic Albertin. *in tract. de agnoscenda assert. cathol. quest. 3. num. 51.* Rojas *de hæresi. 1. p. n. 84.* & seg. Farinac. *de hæresi, q. 178. §. 1. num. 22.* Dixi, per testes contestes: nam si pluribus singularibus testibus conuincatur, non debet tanquam negatiuus condemnari, & curiæ seculari tradi, sed expectandum est aliquod tempus, & inquirendum, an testes contestes inueniantur, & interim torquendus. vt veritas ex ore ipsius habeatur. Quod si in negatiua perseverat, quia in hoc casu per torturam non videtur iudicia integrè purgasse; ad abiurationem, à quæque penitentias arbitrio iudicis imponendas deueniendum est, non autem ad relaxationem curiæ secularis. sic Pegna *3. part. direct. comment. 12. 1. vbi de testibus, pag. mihi 620.* ibique optimè declarat, qui dicantur testes singulares. Subiungunt ij Doctores aliam duplicem conditionem. Prima, vt sic accusatus afferuerit prædicta verba, vel facta se credere, & aliis credenda proposuerit. Sed hæc conditio non est diuersa ab ea, qua quis facta hæreticalia facit; tunc enim in actu exercito dicit se illa credere, aliisque credenda proponit, quia nemo præsumitur contra mentem operari. Reflexa autem manifestatio, & in actu signato, (vt dicunt) ad hæresim necessaria non est. Alia conditio est, vt verba, seu facta hæreticalia sint prolata, & gesta de recenti, & non tempore antiquo, de quo præsumi potest obliuio. Sed vt bene dicit Farinac. *n. 2.* cum Pegna *in direct. inquisit. 2. part. q. 34. comment. 59. & 3. part. tit. de duodecimo modo terminandi processum, comment. 48. num. 208.* attendenda est qualitas hæresis, quæ inopertat. Nam in aliquibus hæresibus hæc obliuio præsumi potest per decennium, aut per quinquagennium, vel triennium arbitrio iudicis; at in factis hæreticibus grauibus, & solemnibus, qualis sunt imagines conculcare, sectam falsam prædicare, templum destruere, in nullo tempore obliuio præsumitur. Vide Pegna *suprad. comm. 59.*





PUNCTUM IV.

An possis, & tenearis omnes apostatantes à fide iudicibus denuntiare.

- 1 Proponitur sententia negans te obligatum esse denuntiare, cum solus delictum noster.
- 2 Contrarium opinio tenendum est.
- 3 Quando facienda est hac denuntiatio.
- 4 An excusor ab hac obligatione si speras correctione fratris hereticum emendandum? Affirmant aliqui.
- 5 Opposita sententia, ut communior, respública, religionique utilior amplectenda est.
- 6 Hereticum emendatum Suarez affirmat esse denuntiantium.
- 7 Credo denuntiantium non esse, si occultus emittit sit, & tibi constat emendatum esse.
- 8 In casu dubio semper intelligitur iudex non ad vindictam, sed ad correctionem procedere.
- 9 Quid si sub secreto accepit.
- 10 Ratione damni excusari aliquando potest, sed prudentia eius est.
- 11 Socii criminis regulariter obligatus non est manifestare.
- 12 Proprius, & sanguine iunctis hereticis tenetur qui denuntiare.
- 13 Quid dicendum de filio respectu patris, aut e contra? Negant aliqui.
- 14 Probabitur esse obligatum esse, casu quo alia via heresim impetire non possit.
- 15 Filius in hoc casu à patris latis adversus filios heretici liberatur.
- 16 Quid dicendum de uxore respectu mariti, aut de contra.
- 17 Non teneri inquisitoribus denuntiare, qui eis non subiacent.
- 18 Episcopus à iurisdictione Inquisitorum excipitur, & qui nomine Episcopi comprehendantur in hac expeditione.
- 19 Excipitur nuntius seu officialis Pontificis.
- 20 Teneatque hos excemprios inquisitoribus fidei denuntiare, quando non datur ad Pontificem recursus? Probabilis credo te teneri.
- 21 Expenduntur pene late adversus omittentes denuntiationem obligati sunt.

Quando delictum probare potes, nemini est dubium te posse, & debere denuntiare, ex c. quapropter 2. q. 7. & c. de heret. Solum est controuersia, quando delictum à occultum est, vt nullus alius præter te conicius illius sit. In quo puncto plures videntur affirmare te deobligatum esse denuntiationem iudicalem facere, sic Ioan. Andr. cap. noui. de iudicis. quem sequitur Villadiego tract. de hereticis. q. 10. Repertorium Inquisitionum verbo denuntiat. vers. generaliter tamen est, & verbo tractata. vers. 2. Gualdus tract. de heret. quest. 10. n. 7. & 8. iudic. Ioan. à Rojas singul. 3. n. 3. Decian. in tract. crimin. lib. 5. c. 20. n. 4. Ludouic. Paramus de origine sancta inquisit. lib. 3. q. 2. n. 4. Monentur, quia ad opus inutile, & nocuum nemo obligari potest, sed talis denuntiatio est inutilis, & nocua. Ergo ad illum obligari non potes. Minorem probat esse inutilem, quia iudex ex denuntiatione sic facta non procedere potest ad punitionem delicti, neque ad illius correctionem, quia quilibet bonorum effectuum supponit probationem integram delicti, quæ haberi non potest. Est etiam talis demonstratio nocua delinquenti, siquidem infamatur nullo fructu ex infamacione obtento.

Tenenda tamen est tanquam certissima communis sententia, hunc hereticum, & apostatam te obligatum esse denuntiare, sic plures relatis docent Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 8. Sanchez lib. 2. in Decalog. c. 22. sine Simancas tit. 19. Rojas singul. 13. n. 19. & 20. Suarez disp. 20. sect. 4. Bonacina disp. 2. quest. 2. punct. 1. num. 9. Sigismundus Scaccia de iudic. cap. 56. Extra c. de heret. q. 197. §. 2. n. 36. Augustinus Batbola 3. part. allegat. 96. n. 51 in medio. Ratio sumitur à contrario fundamentum, quia talis denuntiatio est necessaria respública, & ipsi delinquenti ergo est facienda. Antecedens quoad primam partem probat, quia per denuntiationem impeditur, ne heresis serpet, nec alios inficit. Tum, quia facta denuntiatione iudex procedere potest ad inueniendum de tali delinquenti, vt dixit Farinac. de heret. q. 185. n. 64. potestque ipsum denuntiatorem in realem criminis commissi recipere, quia eius testimonium insequutum esse non potest, siquidem in delictum non est committendum in iniuriam denuntiantis, sed in contumeliam creatorem; neque in suum commodum potius, quam aiorum creditur. Farinac. alios refert supra n. 32. Simanc. tit. 19. n. 17. Suarez disp. 20. sect. 4. n. 9. tu etiam, quia hereticus videns se esse denuntiatum, vel denuntiandum esse, quantumvis occultissime heresim manifestet, continebitur tunc correctio, & supplicium. Ex qua ratione probatur ipsi etiam delinquenti denuntiationem vtiliter esse; tum quia continetur à

Erd. de Castro Sum. Mor. Pars I.

peccato committendo, tum quia à peccato commisso hac via reuocari potest. Neque obstat denuntiatorem, qui delictum improbabile defert, reputari calumniatorem, & de iure denuntiatorem probare debere, & ei assiltere, quia loco accusatoris habetur. I. ab accusatore. §. denuntiatore. ff. ad Turpillianam, & tradit Rep. verbo denuntiat. vers. an eo ipso. Vmbert. Locat. in iudic. inquisit. eodem verbo denuntiat. n. 1. Non, inquam, obstat, quia licet de iure denuntiator teneatur probare denuntiationem: ex consuetudine tamen contrarium seruatur, & facit cap. super his de accusationib. quia denuntians potest dicere solo zelo boni communis motus delictum declarare, quod præcipue locum habet in delicto heresis ob eius grauitatem, & periculum infectionis, & bonum commune: & ita tradit Eymex director. 3. part. de secundo modo procedendi in causa fidei, n. 68. in princip. & ibi Pegna comment. 15. Scaccia in tractat. de iudic. caus. cap. 7. n. 4. Ludouic. à Paramo de origine sancta inquisitionis, lib. 3. quest. 8. n. 21. c. 12. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 3. Aduerto obligationem huius denuntiationis esse de heretico proprio, qualis est pertinax, non de illo, qui per ignorantiam, vel merum in heresim incidit, & de quo præsumitur ceterò potes monitum corrigendum statim esse, sic Toler. lib. 4. summ. cap. 5. n. 1. Farinacius de heresi, quest. 197. §. 2. n. 39. Bonacina disp. 2. de censuris, quest. 6. punct. 1. n. 20. Ex qua doctrina infer non esse denuntiantium concionatorem aliis religiosum, qui ex incuria, aut inconsideratione aliqua inter concionandum minus consona protulit, quia non præsumitur iudicio Ecclesie voluisse se opponere; excipe, nisi tibi contrarium conitaret, sic Bonacina supra num. 21.

Quomodo autem hæc denuntiatio facienda est, breuiter, & optime explicuit Pegna supra dicto comm. 15. potest enim fieri verbo, vel scripto, prout denuntians magis placuerit, sic Iulius Clarus in pract. crimin. §. fin. q. 7. vers. vltimus. quaro. in fine. Farinacius n. 57. Suarez disp. 20. sect. 4. n. 3. & ita vltus obicitur. Neque necessarium est, vt coram testibus depositio, & denuntiatio fiat; sufficit si inquisitor medio Secretario illam recipiat. Aduertendum summopere est, si denuntiatio aliqua per epistolam fiat, in qua denuntians nomen suum non subscripsit, non debere, nec posse Inquisitorem ad inquirendum, aut examinandum testes procedere, etiam si in schedula testes aliqui fuerint nominati, quia illa denuntiatio est nullus effectus, & reputanda, ac si facta non esset, aliis ania improbus daretur infamandi religiosos viros; sola enim examinatio testium, & inquisitio circa specialem personam est quedam illius infamatio, sic Farinacius quest. 185. n. 68. cum Simanca in enchirid. violata religionis tit. 22. rubr. de inquisit. ordin. n. 8. Latio Zebio in sum. 1. part. tit. de fide. rubr. de heresi. cap. 11. n. 12. vers. declaratur Ludouic. Param. de origin. inquisit. lib. 3. q. 6. n. 97. & seqq.

Restat examinare, an aliquando ab hac denuntiatione facienda excuseris? Circa quod quadruplex venit agitando questio. Prima, an excuseris, si per correctionem fratrem, vel denuntiationem Euangelicam credas hereticum emendandum, vel forte iam emendatus sit. Secundo, si sub decreto delictum accepisti. Tertio, si tibi ex denuntiatione damnum imminet. Quarto, si aliquod sit tibi prius egiur à iure concessum. Circa primam questionem videnda sunt, quæ generaliter dicimus in tit. de charit. disp. de correct. fratrum p. 13. 14. & 15. Quapropter quæ huic loco propria sunt, breui adnotabo. Plures Doctores negant te posse denuntiationem iudicalem facere, si delictum occultum est, (de hoc enim loquimur), & speras correctione secreta emendandum: sic tenent Gualdus tit. de heret. q. 10. n. 6. Repert. inquisit. verbo denuntiat. vers. an quando proceditur. Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 30. n. 3. Martinus Deltio lib. 5. de inquisit. magic. sect. 4. Mouentur, quia denuntiatio in tali delicto fieri non potest ad punitionem delinquentis, sed ad illius correctionem, & ad præseruationem damni respública imminenti: sed hic finis obtineri speratur per correctionem. Ergo non est tunc adhibenda iudicialis denuntiatio. Probo consequentiam: tum quia Christus Dominus tunc dixit Ecclesie delictum proximi manifestandum esse, quando proximus correctionem secretam non audit; tum quia charitas obligat medicinam delinquenti adhiberi, cum minori, quæ fieri possit, iactura.

Nihilominus communior sententia & respública melior est, ac proinde seruanda; quæ affirmat te debere omnia correctione heresim occulta inquisitoribus fidei manifestare: tenet hanc sententiam expressè Simancas de catholic. institut. tit. 19. rubr. de denuntiat. n. 10. & seqq. in enchirid. tit. 23. rubr. de denuntiat. n. 5. & seqq. Sigismundus Scaccia de iudic. cap. 16. n. 3. Rojas tractat. de heret. 2. part. assert. 3. & in singularib. fidei. singul. 3. n. 11. & singul. 5. n. 21. Pegna direct. inquisit. 2. part. comment. 2. ad c. qui alios de heret. vers. quod si queratur, & comment. 18. ad c. qualiter & quando de accusationib. circa finem. Tolet. de instrum. sacerdot. lib. 4. c. 5. n. 1. vbi solum excipit peccatorem ex iure contra aut ex metu, non ex malitia. Ioan. Azor institut. moral. tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 9. Bannes 2. 2. q. 11. n. 4. vers. se i circa solutionem Suarez disp. 20. sect. 4. n. 11. Farinac. de heresi q. 197. n. 39. Bonacina disp. 2. q. 6. p. 1. n. 20. Ratio est nam

DE  
ASTRO  
IAC  
TONI  
IV





nam licet in aliquo casu speretur delinquentis emendatio secrete correctione, vel denunciatione Evangelica: ac regulariter præsumi non potest, sed potius credendum se correctum dissimilaturum, vt sic facilius delinquat, & errores diffundat; sed ob hoc periculum boni communis potest Ecclesia præcipere; vt sibi delicta immediatè denuntientur. Ergo posito tali præcepto tenetur quis peccata delinquentis omnia correctione denuntiare, quantumvis expectetur correctio in aliquo speciali casu, quia tunc finis legis non cessat absolute. Hoc autem præceptum ab Inquisitoribus fidei ponitur, vt testantur Pegna, Simancas, & alij Doctores, & videtur constare ex tenore editi communiter publicati. Ergo. Neque obstat ratio contraria. Fateor denunciationem illam fieri præcipi ad correctionem delinquentis; sed quia raro, vel nunquam hæc correctio obtineri potest per fratrem correctionem; merito Ecclesie iudices in defensionem fidei præcipiunt ea non obstante delictum manifestare. Neque aduersus hoc præceptum pugnat præceptum à Christo Domino latum de correctione fratrum præmittenda: tum quia Christi præceptum est de peccatis, quæ non vertunt in damnum commune, & tertij, quod satis constat ex illis verbis, *si peccauerit in te*: tum quia loquitur spectatis rebus secundum se; secus vero si ob commune bonum ex aliqua lata esset, quæ casus communiter contingentes respicit: tunc enim bonum commune particulari est præferendum; & potius spectandum est vitare periculum boni communis communiter contingens, quam in vno, vel alio casu vitare damnum alicuius delinquentis.

6 Sed quid si iam emendatus delinquens sit, debes ne tunc denuntiare? Afirmat Suarez *suprà*, & mouetur quia præceptum denunciationis non est ob specialem correctionem delinquentis tantum; sed præcipit ob correctionem publicam, & securitatem fidelium, qui finis non videtur obtentus delinquentem emendato, nisi etiam ab Inquisitoribus sit correctus, & punitus.

7 At si delictum occultum fuit, & tibi constat delinquentem esse emendatum, damnumque reparatum; credo te non posse denunciationem iudicalem facere, quia in tali delicto non potest puniri à iudicibus intendi, ex *c. inquisitionis, §. tercio, de accusat.* Ratio est, quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ reipublice delinquentis criminis, ubi autem crimen est occultum, cessat iniuria reipublice, & consequenter eius satisfactio. Restat ergo, vt solum emendatio delinquentis, & reparatio damni facti intendatur. Ergo si totum hoc præsupponitur factum, vel non est locus, vt fiat, quia iam delinquens e vita discessit, cessabit obligatio denunciationis, siquidem cessat finis illius. Neque obstat ratio contraria, quia nego finem denunciationis in delictis secretis esse correctionem publicam, quia cum non sit publicè damnum factum, non est cur publice corrigatur. Securitas autem fidelium, si delinquentis sufficienter emendatus sit, obtinetur. Et ita tradit Emanuel Sà *verbo denuntiatio*, in vtraque editione, specialiter in Romana, cum Toletto, Soto, & Nauaroto.

8 Adde in casu dubio, an iudex ad satisfactionem reipublice, & delicti commissi vindictam, præcipi ad delinquentis correctionem procedat? Probabilis esse procedere ad correctionem delinquentis: tum quia hic finis benignior est, & Ecclesie conuenientior: tum quia procedit per censuras, quæ ad delinquentis correctionem præcipue ordinantur, sic *Amala de censuris, 2. p. disp. 5. dub. 4.* Suarez *de censur. disp. 20. sect. 2. n. 8.* Filiucius *tract. 14. cap. 2. q. 1. n. 28.* & 30. Bonacina *disp. 2. de censuris, q. 6. punct. 1. n. 18. sine.* Barbofa *3. p. allegat. 96. n. 69.*

9 Circa secundam questionem quando sub decreto hæresim accepisti, an tunc possis, & tenearis manifestare, ac si casu cognouisses? In qua te tenendum est, excepto sigillo sacramenti Penitentis, te obligatum esse hæresim manifestare, quantumvis sub secreto iurato hæresim cognoueris, argum. text. in *cap. intimauit, de testibus, & in c. non est obligatorum, de reguli. iur. in 6.* Ratio est, quia te obligare non potes seruate secretum in detrimentum fidei bonique communis; est enim illicita talis obligatio, & contra ius naturale, & iuramentum de tali obligatione seruanda, nullum est, vt pote dere illicita. sic pluribus relatis Lazarus *de monitoriis, sect. 2. quæst. 16. num. 6.* Bonacina *disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num. 7. sine.* & n. 23. Franc Pegna *in direct. 2. p. comment. 18. ad cap. qualiter, & quando, de accusationib. vers. & obligatio denuntiandi.* Ioan. à Rojas *singul. 3. num. 23.* & seqq. Farinae *de hæresi, q. 197. §. 2. n. 50.* Suarez *disp. 20. sect. 4. num. 16.* & 17. Augustinus Barbofa *3. p. allegat. 96. num. 63.*

10 Circa tertiam questionem, seu exculationem, an ratione damni emergentis excusetis à denunciatione faciendâ? Alii qui Doctores non infirmæ notæ affirmant, si graue damnum timeas te excusatum fore, quia præcepta diuina, & Ecclesiastica cum tanto rigore non obligant; quare si ex denunciatione timeas iacturam grauem in te familiari, honore, vel vita, excusaris à denunciatione. Et confirmari potest, si cum aliis crimen hæresis commisit, etiam si tu ab ea desistas, non tenearis socios criminis denuntiare, quia obligaris denuntiare te ipsis. Ergo quoties damnum tibi imminet ex denun-

tiatione, cessare potes à denunciatione faciendâ.

Ceterum in hac parte prudentia opus est, neque debes tuo consilio duci, sed alieno; attendere enim debes nouerunt, quod reipublice obuenire potest ex omnia denunciatione: nam si hoc grauius est, neque alia via impediri potest, nisi denunciatione facta, sine dubio tenebis bonum commune tuo priuato præferre, & tradit Rojas *singul. 3. n. 30. vers. septimo ampliat. At si aliqua alia via damnum commune impediri potest, vel non est ita graue, vt longè præponderet tuo speciali damno, non videris teneri denunciationem facere, sic Franc. Pegna 2. part. direct. q. 53. com. 78. vers. at non videtur.* Sigismund. Scaccia *de iudic. c. 56. n. 4.* Farinae *de hæresi, quæst. 197. §. 2. n. 53.* August. Barbofa *3. p. allegat. 96. num. 70.* ubi relato Antonio Genuef. Vgolno, Possu, dicit: Nemo tenetur denuntiare, nec testificari, quando probabiliter timet sibi aliquod graue damnum spirituale vel temporale, siue inimicitiam capitalem euentuam ex reuelatione consentit Bonacina *de censuris, disp. 2. quæst. 6. punct. 1. n. 5.* Ratio est supra tacta, quia lex Domini suauis est, eiusque præcepta leuia.

11 Ex qua doctrina infero te non esse obligatum regulariter socios tui criminis manifestare, quia non es obligatus manifestare te ipsum, & sine dubio te ipsum manifestares, manifestato socio tui criminis, quia ille manifestatus, & à te denunciatus, debet interrogari fortiori ratione te manifestare, cui tu ipsu, sic Suar. *disp. 20. de fide, sect. 4. n. 19.* Dixi te non esse obligatum manifestare socios criminis, intelligo denunciationem, & expositionem testis legitimi: secus si per teus interrogaris, quia tunc deberes socios manifestare; quia deberes integre tum de iudicio confiteri. Sic Suar. *ex supra*, cum Nauar. *suprà*, c. 18. n. 58. Sayro *in clau. regia, lib. 12. cap. 19. n. 29.*

12 Secundo infero, quid dicendum, an tenearis propinquos hæreticos, & sanguine iunctos denuntiare?

Responsio communis est, te obligatum esse, quia bonum reipublice præponderare debet speciali. Et videtur satis colligi ex *Deut. 13.* ubi tanquam lex à natura indicta dicitur: *Si tibi persuasere voluerit frater tuus, filius matris tue, aut filius tuus, vel filia, sive uxor, que est in sinu tuo, aut amicus, quem diligis, ut animam tuam, clam dicens, Eamus, & seruiamus diis alienis, &c. non misereris, ut occides eum.* Fateor huiusmodi verba solum probare te obligatum esse denuntiare, si propinquos voluit te percutere; secus si sibi ipsi damnosus est. At quia hoc crimen raro contineri potest, ne alios incitaret,ideo ex illis verbis sufficienter colligitur obligatio propinquos denuntiandi. Adde obligationem non tam orti ex propria iniuria, quam ex iniuria religioni facta, & quæ faciendâ timetur.

13 Solum est inter Doctores aliqua controversia, an filius possit, & teneatur patrem hæreticum denuntiare? Negant Simancas *de cathol. institut. tit. 29. n. 47.* & seq. & tract. *de hæresi, n. 14.* & seqq. Mouetur, quia in supra dicta lege Deuteronomij, nulla est facta mentio de filio respectu patris: tum quia reuerentia debita patri videtur præponderare cuiuslibet alie obligationi, tum denique, quia credit talis denuntiatio in graue si ij detrimetur, redditur infamans, priuatur bonis, &c. Supradictam sententiam limitat Simancas *tit. 29. n. 43.* & seqq. & in *supradicto tract. n. 41.* tripliciter. Primò, vt intelligatur non teneri filium denuntiare patrem hæreticum, bene tamen posse. Secundo nisi interrogetur à iudice, & præcipiatur. Sio iuramento, quia tunc debet hæresim propagare. Tercio nisi hæresis paterna peccitiosa reipublice inueniatur. Ioan. viciò à Rojas *singul. 12. n. 3.* admittit filium esse obligatum patrem denuntiare, si pater ad hæresim filium induxit, secus si non inducatur.

14 Ceterum probabilis credo filium obligatum esse denuntiare patrem hæreticum, si alia via impedire eius peccatum non potest, sic Castro *de iusta hæresicorum punitione, lib. 2. cap. fin. Mascard de probationibus, lib. 2. concl. 857. n. 18.* & seqq. Paramus *de origine sanctæ Inquisitionis, lib. 3. q. 8. n. 83.* Lælius Zochius *in summ. 1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. n. 12. vers. c. secundo ampliat.* Farinae *de hæresi, q. 197. n. 40.* & 42. sine. & quæst. 54. n. 17. Pegna *lib. 2. direct. com. 15. ad cap. litteras.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 4. n. 21.* Tolet *lib. 5. cap. 1. n. 10.* Bonacina *disp. 2. de censuris, q. 6. punct. 1. n. 5.* Augustinus Barbofa *de potestate Episcopij, 3. part. allegat. 96. n. 56.* & alij ab eisdem latati. Ratio est, quia damnum commune specialiter est præferendum, neque contra reuerentiam debitam parenti est, eius vitæ spirituales querere, & peccata impedire, & (vt dicit Pegna) potius Deo, quam parentibus obediendum est, *cap. relatum, de sent. excom. & c. quisquis metu 11. q. 3.* Nam si licet patrem impugnantem patriam impune interdicere, *l. minimi ff. de relig. & sumptib. funer.* multo magis eundem Catholica fidei reum licebit denuntiare.

15 Addit autem optime Pegna supra dicto loco filium deferentem patrem hæreticum, à pomis in hæreticorum filios iure statutus ob præmium delationis lib. rari, argum. *l. quisquis, §. vltim. C. ad legem Iuliam maiest.* Ne huiusmodi scelus ex defectu delationis maneat impunitum, quod definiuit Federicus Imperator *in l. commissi nobis ex ius,* quam legem Innocentius IV. postea probauit, in Bulla edita anno 1152. incipiente, *Ch. aduersus,* pro vt refert Pegna *in vltima parte direct. 2. fol.*



fil. mibi 9. confentit h's Castro lib. 2. cap. 26. Suarez disp. 20. sect. 4. num. 22. Deinde notandum patrem sic à filio delatum iniuriis esse puniendum; ne scilicet ipse filius in patre puniatur. Rojas singul. 12. n. 6. Farinac. q. 197. n. 45.

16 Sed quid dicendum de vxore respectu mariti, & de cõtra, an teneatur maritum hæreticum denuntiare? Videtur non teneri, quia reputatur vna caro, vnaque persona, & sicut nullus se ipsum prodere obligatur, neque obligandus videtur prodere sic coniunctum. Ita Pegna in direct. 2. part. 9. §. 53. comment. 78. vers. at non videtur. Farinac. de hæresi, quæst. 198. n. 49. fine; §. 13. Bonacina disp. 2. de censuris, quæst. 6. punct. 1. n. 4. Cante- rini in quæst. crimin. rubr. de hæresi, cap. 1. n. 2. vers. ex qua quidem glossa. Barbola 3. part. allegat. 96. n. 59. Cæterum hoc credo intelligendum esse, quando vxor timeret ex tali reuelatione sibi à marito mortem parari, aut aliud graue damnum expectarum; secus si hæc præcaueri possent.

17 Circa quartam questionem, an ob priuilegium iuris excusetur à denuntiatione facienda? Breuiter respondere possumus nequam esse excusatum, denuntiationem facere de hæresi, quæ alia via commode impedi non potest. Hæc autem denuntiationi vel faciendæ est tribunali Inquisitorum, si persona denunciata illi subditæ, sin minus coram illius superiore; qualis est saltem Summus Pontifex, quia hæc denuntiationi iudicialis, de qua loquimur, semper coram superiore faciendæ est. Verum quia contingit esse aliquas personas à iurisdictione ordinariarum iudicum exemptas, videndum est, an ratione huius exemptionis excusetur à denuntiatione faciendæ illis iudicibus, à quibus eximantur. Et primò præsupponendum est, quæ personæ eximantur, & quæ ratio vt sic possimus inquirere, an denuntiare illas tenearis.

18 Primò eximuntur à iurisdictione Inquisitorum, Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales, Patriarchæ, &c. de quibus nec inquirere possunt Inquisitores fidei, habetur expressè cap. inquisitores de hæresi, in 6. & tradit Repert. Inquisitor. verbo Episcopi ad 2. Villadiego de hæresi, quæst. 7. Simancas de catholicis inquisitoribus, cap. 14. & omnes sub nomine Episcopi, comprehenduntur quicumque sic fuerint consecrati, etiam titulares, quia veri sunt Episcopi, & dignitate Pontificia fulgent, & tradunt supra dicti Doctores, Suarez disp. 20. sect. 4. de fide, num. 25. Adde, et si non sint consecrati, si tamen eorum electio à Sede Apostolica confirmata sit, hoc priuilegio gaudent, quia iam habent Episcopalem iurisdictionem; secus verò si solum electi sint. sic Molin. tom. 5. de iustis. tractat. 5. disp. 27. num. 19. Simancas tit. 25. num. 11. & 12.

19 Secundo ab Inquisitorum officio eximuntur nuntii, seu officiales Pontificis, dum officio funguntur, quos non possunt Inquisitores ordinarij iudicare, neque aduersus illos procedere, nisi de licentia expressa Summi Pontificis; bene tamen possunt aduersus eos inquirere, vt eorum Summum Pontificem faciant haberi in Extraneis iuxta tom. XXII. que incipit. Cùm Mathæus, de hæretico. Nominè Nuntiorum, seu officialium Sedis Apostolicæ solum comprehenduntur, qui in fauorem Sedis Apostolicæ, & pro causis ad illam Sedem pertinentibus deputati sunt, cum enim hæc exemptio in honorem, & reuerentiam Sedis Apostolicæ concessa sit, æquum erat, vt soli illi gauderent, qui in negotiis illius Sedis occuparentur. Quocirca, si aliquis à Sede Apostolica delegatus sit pro decidenda aliqua inter partes controversia, cuius decisiõ ad Sedem Apostolicam non pertinet, sed priorum vilitatem respicit; ij, inquam, nomine officialium gaudentium hoc priuilegio non computantur, & ita tradit relato Lopo, Decio, Pegna 3. part. direct. quæst. 26. comment. 75. Molin. tractat. 5. de iustis. disp. 28. num. 20. Sub hoc priuilegio manifestè comprehenduntur Inquisitores, quia delegati sunt à Pontifice pro causa Sedem Apostolicam maximè respiciente, quæ est fides. sic Suarez disp. 20. de fide, sect. 4. num. 26. Molin. num. 21. Pegna comment. 79. optime hæc omnia enucleantes. In Hispania autem cum omnes Inquisitores speciales sint ad nutum amobiles, facile poterit si suspectus fuerit, ab officio deponi; & tunc circa illum poterit ordinarij, & alius Inquisitor procedere. Interim tamen dum suo officio fungitur, placet Simancæ titul. 25. aduersus illum posse procedi, quia non est officialis Sedis Apostolicæ, sed subdelegatus à delegato, scilicet ab Inquisitore generali. Sed quod diximus magis receptum est.

Tertiò ab Inquisitorum officio omni aliqui religiosi erant exempti, sed iam vsus obtinuit neminem eximi, neque à suo Prætoro iudicari posse, sed remittendum esse censoribus fidei, qui accuratius causam examinant. sic Suarez sect. 4. num. 22. Pegna 3. part. direct. 9. §. 28. comment. 77.

20 His ergo suppositis, inquirimus, an tenearis hos exemptos tribunali inquisitionis denuntiare, præcipue cùm apud Pontificem non possis eos deferre? Et videtur te obligatum non esse, quia denuntiationi ordinatur ad inquisitionem, & iudicium: si igitur incapaces sunt Inquisitores, & ordinarij inquirendi, & iudicandi hos exemptos, videtur denuntiationis obligatio cessare. Cæterum credo te obligatum esse in tali casu hos exemptos denuntiare, ac si à censoribus fidei exempti non essent. indicat Suarez disp. illa 20. de fide, sect. 4. num. 23. Molin. de Castro Sum. Mor. Pars I.

ueor, quia illa denuntiationi est effectus remedium impediendi damnum, quod ex hæresi prouenire potest, quia remissa denuntiatione ad Sedem Apostolicam, Sedes Apostolica, si firma denuntiationi, & depositio videatur, vicesalicui committit inquirendi, & procedendi aduersus illum exemptum. Deinde censores fidei iurisdictionem, & potestatem habent ad recipiendam depositionem testium, si qui sint qui velint deponere, quod non leuiter colligitur ex cap. inquisitores, de hæretico, in 6. ibi: si scierint, vel nouerint, testium, inquam, depositione, alijs non est scientia, quæ fidem in iudicio faciat. Ergo denuntians, est vices denuntiatoris non agat, vicem testis subire potest, & delictum exempti manifestare. Quæ omnia à fortiori procedunt, quando vel fuga timeretur exempti, vel aliquod perniciosissimum damnum in Ecclesia, eo quod errores disseminaret, & hæreticos defenderet, neque cõtereri posset: tunc enim ex benigna interpretatione legis censetur Pontifex concedere Inquisitoribus fidei potestatem capiendi talem exemptum, vt bene dicit Pegna, Molin. Simancas, & alij locis supra allegatis. In tali ergo casu clarum est te obligatum esse denuntiare, quia denuntias superiori, qui ex denuntiatione inchoare causam potest, etiam si non possit illam terminare.

21 Sed inquires, quæ sint poenæ omittentium denuntiationem, cum ad illam teneantur?

Respondeo primam poenam esse excommunicationem: at hæc non est secundum ius commune ipso facto lata, sed ferenda. Nam extraneus Gregor. IX. quam adducit Pegna 2. part. comment. 2. ad c. qui alios, vers. diximus pag. 89. solum dicit, si quis hæreticos scierit, &c. (tudeat indicare confessori suo, vel alij, per quem credat ad notitiam sui Prælati peruenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur, quæ verba indicant sententiam ferendam non latam. At ex edictis sancti Officij nemini est dubium in excommunicationem ipso facto referatam incidere sic omittentem; neque ab ea absolui potest, quovisque denunciet.

Secunda poena est reddi de hæresi suspectum, ex traditis in repert. inquisitor. verbo fautores, vers. item in iudicatione, quod intelligendum est, quando nulla se potest probabilis causa excusare, vel in iudicio interrogatus veritatem celauit: sed tunc est dubium quam suspicionem contrahat? Nam Alphonsus Castro de iusta hæretico punit. lib. 2. cap. 25. in princ. dixit violentiam contrahere suspicionem, quod certe nimis rigorosum est, vt testatur Ioann. Rojas singul. 5. n. 17. & 18. Pegna 2. part. direct. 9. §. 6. comment. 81. vers. illis ex Ioanne. Farinac. de hæresi, q. 197. num. 38. Decian. tract. crim. lib. 5. cap. 30. n. 7. At credo de hæresi esse vehementer suspectum, qui veritatem nulla causa excusante occultauit; vel in iudicio rogatus scierit negauit, sic Rojas, Pegna, Farinac. supra.

Tertia poena est, esse tanquam fautores hæreticorum damnandos, sic pegna prius relatis 2. part. direct. 9. §. 4. comment. 78. vers. postremo, intelligit, vt ex sequentibus constat, dummodo nulla probabilis causa excusetur. Cæterum credo sic omittentes denuntiationem dici non posse fautores hæreticorum, nisi saltem ex officio, vel ex iuramento præstito obligati sunt denuntiare. Sic Decian. in tract. crim. lib. 5. cap. 5. n. 35. Tolet. sum. lib. 1. cap. 16. num. 6. Vgolin. de censur. Pontificis reservatis, 2. p. in glossa fautores in princ. n. 9. Farinac. de hæresi, quæst. 197. n. 47. & 48. & facit quod tradit Pegna cum Eymar. supra. comment. 78. vers. prius. vbi concludit in hæc verba. Ergo priuati homines fautores hæreticorum erant, si cum eis incurreret ex officio eos indicare, vel comprehendere, hæc omiserint tales sunt cruce signati, quos in Hispania familiares vocantur. Idem colligitur ex Sanch. lib. 2. in Decal. c. 10. n. 15.

PUNCTUM V.

Qui reputentur credentes, fautores, receptatores, defensores hæreticorum, aduersus quos in Bulla Cœnæ clausula prima lata est Excommunicatio.

- 1 Quis reputetur credens hæretico.
- 2 An bis audiens confessionem hæretici condemnandus sit, ita quam illi credens. Distinctione resoluitur vera doctrina.
- 3 Nominè fautorum, qui intelligantur.
- 4 Quid nomine receptorum.
- 5 Quid defensorum.
- 6 Quid fautorum.
- 7 Omittentes denuntiare, vel capere hæreticum, cum ex officio, non teneantur, non dicitur fautor, secus si ex officio, vel mandato Inquisitorum teneantur.
- 8 Non desunt qui existimant se fautores hæretici non esse, tamen se fauere dummodo non fauere animo fauendi hæresi.
- 9 Contrarium est probabilius, modo auxilium cedat in hæresi fauorem.
- 10 Quid si auxilium hæretico præstitis, vt à iustitia libera-



retur. Et non obtrivisti? adhuc censendus es fautor hæretici ad panas in probabilis sententia.  
 11 Probabilis censio oppositum.  
 12 An sufficiat favore hæretico præsumpto, ut hæreticorum fautor dicaris.  
 13 Excuset ne à fautoria esse consanguineum, vel affinem hæreticum, cui faues.

**N**omine credentium hæreticis comprehenduntur, qui eorum erroribus siue in particulari, siue in communi, siue expressè, siue confusè assentiuntur signis externis tali assensu manifesto, sic Nauar. *cap. 27. summ. n. 55.* Vgolin. *de censur. reser. Papa. 2. p. cap. 1. verbo credentes, num. 1. & 2.* Suarez *de censur. disp. 2. 1. sect. 2. n. 6. & disp. 2. 4. de fide, sect. 1. num. 1. & 3.* Sauch. *lib. 2. in Decalog. cap. 10. n. 2.* Bonacina *disp. 2. de censur. quest. 5. punct. 3. n. 2.* Pegna *2. p. direct. q. 50. comm. 75.* Farinac. *de hæresi, quest. 181. n. 104.* Neque obstat hoc credentes verè esse hæreticos externos & comprehensos sub priori clausula Bullæ aduersus hæreticos lata, quia gratia maioris declarationis expressi sunt, sic Nauar. *loco allegato de censuris.* Vgolin. & Sanchez *suprà.* Dixi sufficere si in communi, & confusè erroribus hæretici assentiatis, ut credens illis dicaris, quia tunc verè illi, ut hæreticus est, credis; quod contingit, si credis hæreticum sciens talem esse, rectam fidem habere; licet in particulari neficias eius errores. Item si dicas te credere quidquid ipse credit, Farinac. *suprà. n. 104. sine, & præcipue n. 124. & 125.* Item si animo assentiendi eius erroribus prædicationem, & lectionem illius audis; imò etiam si non habes animum assentiendi obliuatum; si tamen illum habes sub conditione, si tibi rationes, & motiua hæretici placuerint, illi credens es, saltem sub conditione. Quod videtur sufficere, ut sub credente comprehendaris, siquidem ratione illius animi dubij fidem amittis, sic Suarez *de fide disp. 2. 4. sect. 1. n. 3.* Insuper dixi esse necessarium, ut sensu aliquo externo, quo animus ab aliis cognosci possit, assensum manifestes, aliàs non eris ab Ecclesia puniendus, sic Suarez *loco allegatis.* Sanchez *n. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 9. quest. 10.*

Quod si inquiras, quibus verbis, aut factis hic animus sufficienter manifestetur?  
 Respondeo breuiter illa esse ex quibus grauis suspicio hæresis nascitur. Quæ autem hæc sint, optimè expendit Eym. *2. p. direct. q. 50. & ibi Pegna, & Farinac. de hæresi, quest. 181. num. 110.*

1. Dubitant tamen, an si semel, vel bis ad audiendas conciones hæretici adeas, ut credens illi reputandus sis?

Et licet communis sententia videatur esse ex gemino actu hanc suspensionem grauem oriri, & te tanquam credentem hæretico condemnandum esse. At Doctoribus non infimè notè videtur ex gemino actu non fide esse condemnandum, sic plurius relatis docent Pegna *2. p. direct. q. 50. comm. 65.* Decian. *lib. 5. in tract. crim. cap. 18. vers. 16.* Grassi *lib. 4. suarum decif. cap. 18. n. 29. & 30.* Farinac. *n. 115. & 116.* Suarez *disp. 2. 4. de fide, sect. 1. n. 3. sine.* Limitat tamen hanc doctrinam Pegna *suprà, vers. sed plurimum,* cum quis Catholicus in terris hæreticorum existens semel, aut bis ad conciones hæreticorum vadit, secus verò, si in terris Catholicorum occulta ab hæreticis conuenticula celebrari intelligat, & illuc vadat, etiam si semel, & non denunciatur Episcopo, vel Inquisitori, suspicione hæresis non carebit. Cum in hoc casu approbare censetur, quod potuit auctere, si iudicibus Ecclesiasticis, ut debuit, indicasset, nisi considerata personæ qualitate per ignorantiam excusaretur, & placet mihi hæc limitatio quam etiam affirmat Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 15. q. 1.* Farinac. *q. 182. num. 120.*

3. Nomine fautorum intelliguntur, qui scienter hæretico fauent in causa hæresis. Potest autem fautor præfati multipliciter, scilicet recipiendo hospitium hæreticum; & sic idem sunt fautores, ac receptatores. Secundo defendendo illum in iudicio, vel extrà, ne puniatur, & tunc sunt defensores. Quomodo cumque ergo fautor contingat, qui illum præstat hæretico in causa hæresis, fautor illius dicitur. Verum, quia Doctores hæc distinguunt, explicemus sigillatim singula, ut sic melius agnoscatur, in quibus casibus censetur hæretico fauere.

4. Receptor ergo dicitur, si hæreticum ob causam hæresis fugientem, & se abscondentem hospitio receperis, vel in domo tua, vel in agro, vel in ciuitate, vel alio quouis loco, sic Pegna *2. p. direct. q. 51. comment. 76. vers. hinc consequitur.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 10.* Vgolin. *hoc verbo receptatores, in princ. n. 1. & §. 1. n. 3.* Suarez *disp. 2. 4. de fide, sect. 1. n. 4.* Neque ad hunc effectum requiritur multiplicata receptio, sed sufficit, si vnica vice receperis, nam licet verbum *receptare*, secundum Grammaticos iterationem, & repetitionem recipiendi sonat; at secundum Ecclesiæ morem, non ita in præsentem accipitur, sed in simplici significatione, pro vno, inquam, actu; & tradunt Pegna, Sanchez, Vgolin. Suarez *suprà,* & innumeros referens Farinacius *de hæresi, quest. 181. n. 152.* Neque etiam est necessarium, hanc receptionem occultam esse, quia si publica est, & ad fauorem hæresis cedit, grauius delinquis, ut bene dixit Ioan. Calderin. *tract. de hæresi, rub. de hæreticis volentibus, n. 14. sine Farinac.*

*quest. 182. §. 7. n. 99.* Pegna *2. p. q. 51. comment. 76.* Quapropter cum Doctores communiter dicunt receptatorem esse illum, qui hæreticum recipiens occultat, & celat, ne in manus iudicis deueniat, non sunt intelligendi, ut sola receptatio occultam damnetur, siquidem publica damnabilior est, sed idè de illa mentionem fecerunt, quia frequentior est. Neque etiam requiritur ut hæreticus sit denunciatus, sufficit si tibi constet hæreticum esse, quia iam faues hæretico, ut tali, sic Bonacina *disp. 2. de censuris, q. 5. p. 3. sine.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 6.* Suarez *de censuris, disp. 2. 1. sect. 2. num. 9.* Debes tamen scire sic receptum hæreticum esse, aliàs receptor hæretici dici non potest; & tenent omnes. In foro autem externo non præsumitur hanc scientiam, sed potius ignorantiam habere, & tuo iuramento creditur, nisi casu quo hæreticus, vbi tu resides, publice denunciatus, & notorius sit, ut bene dicit Carrius *de hæreticis, n. 170.* Pegna *2. part. direct. quest. 51. comment. 76. vers. an autem.* Farinacius *de hæresi, q. 181. n. 164.* Imò etiam si denunciatus sit, si tamen cum denuntiatione facta est, abfuit à loco, vel eras in lecto infimus, vel negotiis propriis occupatus, neque etiam tunc scientia est præsumenda. sic Vgolinus *tract. de censuris, Papa reseruat. 2. p. in glossa receptatores, §. 2. n. 4.* Farinacius *n. 164.* Azor. *lib. 8. cap. 15. q. 8.*

5. Defensor hæretici dupliciter dici potest, ut constat ex Eym. *2. part. direct. quest. 52.* Primo, si errores hæretici defendas. Secundo, si defensas personam ob causam hæresis. Defendit errorem si argumenta in eius fauorem facias, & obiectiones contrarias soluas, si verbis laudes, scriptis extollas. Modus hic defendendi hæreticum peiusiosissimus est, siue interius errori defensor assentiatis, siue non. In foro enim externo violenter præsumitur errori assentiatis, & tanquam hæreticus omni hæretico deterior esses dammandus, ut bene tradit cum Eym. *suprà, Pegna comment. 77. in princip. Farinacius innumeros referens quest. 182. num. 62.* & in textu expressissimè *cap. qui aliorum, 2. 4. q. 3.* Defendit autem personam propter causam hæresis, si impedis ne capiat in iudicium, vel captum ab eo liberat, si impedis ne corrigatur, quod facere potes inuicibus, vi, dolo, & potentia. sic Farinacius *loco §. 7.* Adde si quis vellet aliquem actum hæreticalem facere, & ab aliis impediatur, tu vero remoueas impediendes, ut liberè ille prauam illam voluntatem exequatur, tanquam defensor erroris es iudicandus, & condemnandus, sic Decian. *tractat. crimin. lib. 5. cap. 5. n. 9. vers. ego verò.* Farinacius *q. 181. de hæresi, n. 65.* Dixi, si defensas personam ob causam hæresis, quia si ex alia causa defendas, videlicet ne à latrone, vel alia priuata persona iniultè offendantur, non es defensor hæretici, quia illa defensio mala non est, sic Tolet. *lib. 1. summ. cap. 19. n. 6.* Farinacius *n. 68.* Suarez *disp. 2. 4. sect. 1. n. 5.*

6. Fautor hæretici dicitur, quoties ob causam hæresis hæretico fauorem præstas. Dupliciter hunc fauorem præstare potes, omissione, & commissione. Omissione faues hæreticis, si eos cum teneris capere, aut iudicibus indicare, non indicas, neque capis, si captos, & tunc curæ commissos non custodias diligenter, si tibi commissos puniendos non punias. Commissione faues, verbis, & factis. Verbis, si laudes hæreticum, ut talis est, affirmans esse vitum probum, iniultè damnari; si consilium præbes, ut possit errores celare, & condemnatiouem effugere. Factis faues hæreticis, si eos celas, & occultas in domo; si auxilium præbes, ut effugiant, si subministras alimenta, si procelsum falsificas, abscondis, & alia huiusmodi facis, ex quibus inquisitionis officium impeditur: sic omnes Doctores relati, & referendi, & videri possunt in Farinac. *de hæresi, q. 182. §. 1.* Aduertendum tamen est hæc omnia officia te facere posse circa hæreticum mortuum, & emendatum, quæ si in fauorem hæresis cedant, absque dubio fautor hæreticorum, dicendus es. Vnde si hæreticum mortuum in loco sacro sepelias, si interrogatus à iudicibus ad illius delicti punitionem, veritatem occultes, cum debes manifestare, vel illius inquisitionem faciendam impediatis, censuris in his casibus hæretici fautor, sic tradit Vgolin. *illo verbo fautores, in initio, num. 18. & §. 1. n. 1.* & Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 17.* Suarez *de fide, disp. 2. 4. sect. 1. num. 6.*

7. Pro maiori tamen horum declaratione, sunt aliquæ difficultates enodandæ.  
 Prima, an priuata personæ ex omissione dicantur fauere hæretico; v. g. si omittis capere hæreticum, vel iudicibus indicare, cum faciliè possis, si iam captum, & tibi commissum non custodis.

In qua re communis omnium sententia est te non esse fauorem hæretici, nisi aduersus iustitiam, & obligationem officij pecces. sic Simancas *lib. 15. n. 13.* Pegna *direct. quest. 53. comment. 78. vers. ego.* Sanchez *lib. 2. cap. 10. n. 15.* Suarez *disp. 2. 4. sect. 1. num. 6.* Farinacius innumeros referens, *de hæresi, q. 182. num. 27.* Ratio est, quia cessante obligatione iustitiæ tibi imputari non potest hæreticum non corrigi, cum tua non interit illum corrigere. At si ex iniustitia obligatus sis hæreticum capere, vel denunciare, quæ obligatio omni potest, vel ex officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato, tunc fautor hæretici dicendus es, si fauorem debitum præstare cœnitas. sic Decian.



Doctores relati, ex quo fit, si Inquisitores, & Episcopi in fauorem hæresis omittant delinquentem capere, torquere, punire, & in carcere custodire fideles, fautores esse hæreticorum, idem est de cruce signatis, si omittant capere hæreticos, quia tenentur in officio obligantur, sic Sanchez, Suarez, & Farinacius *supra*. Ex speciali autem mandato tenentur omnes prælati te auxiliari contra hæreticum, quoties requisiti fuerint. Si autem omittant, peccant contra iustitiam; quia peccant contra ius debitorum superiori præcipienti, quod videtur sufficiens, ut fautores hæreticorum dicantur. Ex quo fit, si interrogatus à iudicibus fidei celes veritatem, vel requisitus capere hæreticum, id omittas, vel imperatus manifestare hæreticum, omittas denuntiare; quia omittis facere ea, quæ ex speciali præcepto tui superioris facere debebas, sic Sanchez, & Pegna *supra*. Quamvis non desint Doctores, qui te à fautoria hæresis libertate, quando solum ex speciali præcepto, & non ratione officij tenentur fauorem præstare, eo quod non videaris aduersus iustitiam, sed solum aduersus fidem peccare in omittendo tali fauore: alius quoties subditi superiori præcipienti non obediunt duplex peccatum committent, alterum scilicet aduersus illam iustitiam, cuius est materia præcepta, v.g. temperantia, vel religio, si Missa, vel ieiunium imperetur, alterum aduersus ius superioris, quod ex omissione sui præcepti laeditur. Et ita non esse fautores hæreticorum singulares personas, si quibus hoc officio non incumbit fidei fauere, & hæreticum extirpare, docet Eymez. *p. quæst. 53. num. 3.* Farinacius *quæst. 182. §. 2. num. 56.*

8. Secunda difficultas est, an fautor, defensor, & receptio hæretici debeat præstari animo fauendi eius hæresi, vel sufficiat, si in hæresis fauorem cedat? Plures Doctores negant sufficere, sed necessarium requiri te habere animum fauendi hæresi, sic docet Sanchez *lib. 10. cap. 10. num. 5.* Bonacina *disp. 2. de censur. quæst. 5. punct. 3. num. 2.* Mouentur, quia ferè omnes Doctores tenentur ad fautoriam necessarium requiri fauere hæretico, ut hæreticus est: at si hæretico faues, quia est tibi amicus, vel consanguineus, non faues illi, quia hæreticus est. Ergo non es fautor hæretici.

9. Nilominus probabilius censo te esse hæretici fauorem, si in hæresis fauorem præstas, etiam si non procedat auxilium ex animo fauendi hæresi, sed satisfaciendi alteri humanæ obligationi. Probo primò ratione à priori, quia si auxilium in impediendis hæretico, cedens necessario in hæresis fauorem, absolute vis in executione hæresi illius fauere, quia fautor hæresis omnino consistit in illo auxilio præstito, neque impeditur ex alia viuersaliori intentione, si forte habeas. Ergo vix dicendus es fauere hæretico, ut hæreticus est, quoties faues illius hæresi. Secundo ex variis textibus in *tit. de hæretico, in 6.* in quibus solus fautor hæretico factus cedens in fauorem hæreticæ prauitatis attenditur, ut fautoriam hæresis constituat, neque alia intentio formalis requiritur, constat hoc ex *cap. necisatum, §. sacerdotis de hæretico, in 6.* ubi sacerdotès, & alij clerici impediens inquisitionis officium, compesci possunt tanquam fautores hæretici, cum non sit dubium (inquit textus) eos ipò facere in fauorem hæreticæ prauitatis. Item ex *cap. commisso*, ubi confertis beneficium hæretico cognito, etiam si consanguineus sit, priuatur beneficiis, & alias pœnas incurrit. Et idem est de recipiente ab hæretico, ex *cap. quicumque, quia in his fautor hæresi præstatur, etiam si non animo vltimate, & formaliter illi fauendi fiat, & ita tenet doctissimus Franc. Suarez *de fide, disp. 2.4. sect. 1. n. 9.* Neque Doctores quos allegat Sanchez, suam intentionem probant, solum enim dicunt necessarium esse ad fautoriam, ut hæretico faueas, ut hæreticus, quod abunde præstat, quoties vis auxilium cedens in fauorem hæresis illi præstare, vis enim tunc illi fauere, ut hæreticus est, etiam si non faueas illi, quia est hæreticus, sed quia est consanguineus.*

10. Tertia difficultas est, an censentis fautor hæretici ad pœnas incurrendas ob auxilium, & fauorem hæretico præstitum si de facto effectum non obtinuit? v.g. Recepti domi hæreticum, ut illum à iudice liberaret, non potuit obtinere, quia iudex confusus quæsiuit delinquentem, & inuenit. Item delicti delinquentem pecuniam, ut fugeret, ne caperetur, captus est. Negasti veritatem in iudicio interrogatus, alij testes manifestabant, & ex testimonio illorum reus fuit punitus. Dubium ergo est, an in his casibus censentis fautor hæretici? Negat Sanchez *lib. 2. c. 10. n. 9.* Bonacina *disp. 2. quæst. 5. punct. 3. num. 1.* Farinacius *quæst. 182. n. 102.* Mouentur, quia fautor prohibetur hæreticis, ne in hæresi foueantur, sed qui non obtinuit effectum fauoris, non fauet hæretico in sua hæresi, etiam si intendit fauere. Ergo non est, puniendus, ut talis. Et confirmo. Si mandatum, consilium, vel auxilium ad homicidium, vel percussorem clericis dederis, & homicidium, vel percussio clericum non sequatur, nullam pœnam contrahis, quia hæc non ratione sui, sed ratione homicidij, & percussoris clericum prohibentur, & puniuntur: & cessante principali, cessare debet accessorij prohibitio; sed in presenti principale prohibetur est hæresis, accessorius, est fautor, defensor, & receptio. Ergo cessante hæresis perlocuentia, cessare debent omnia alia prohibita.

11. Contrarium vt probabilius defendit Suarez *disp. 24. de fide, sect. 1. num. 14.* Sayrus *tit. 1. in thesauro, lib. 3. c. 5. num. 4.* Grass. *lib. 4. suarum decis. cap. 18. n. 34.* Et mihi probatur. Moneor, quia fautor hæretici prohibetur, non vt hæresis committatur, sed ne hæresis commissa firmitatem habeat, sed hic effectus semper obtinetur, quoties auxilium in fauorem hæresis præstas, saltem pro illo tempore, quo præstas auxilium, etiam si postea auxilium impediatur. Ex qua ratione soluitur fundamentum contrarium.

12. Quarta difficultas est, an debeas fauere hæretico, qui vere hæreticus sit, vt fautor hæreticorum dicaris, vel sufficiat fautor hæretico iure præsumpto? v.g. excommunicato per annum, & in excommunicatione infortescenti?

Respondet Suarez *disp. 24. sect. 1. n. 13.* in foro externo te reputandum esse hæreticorum fauorem, secus in foro conscientia, quod veritatem respicit. Et quidem de foro conscientia verissimum est hoc dictum pro foro externo limitandam iudicio sententiam Suarez ad excommunicatum ex causa fidei per annum infortescentem in excommunicatione: hic enim est, qui hæreticus reputatur & tanquam hæreticus damnari debet, ex text. in *cap. excommunicamus, et. 1. §. credentes, de hæretico, & ex text. in cap. inquisitionis, §. prohibemus, de hæretico, in 6.* Secus vero si non sit excommunicatus ex causa hæresis, quia tunc solum redditur de fide suspectus, iuxta Trident. *sess. 25. cap. 3. de reformat. §. in causis quoque.* ubi statuit inquiri posse in quemque persistentem per annum in excommunicatione, tanquam de hæresi suspectum, & constat ex *gramm. de pœnis, cap. cum bona de state, et qualitate.* & tradit optime Eymez. *direct. 2. p. quæst. 47.* Verumtamen ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, & generalis inquisitionis, non solè Inquisitores aduersus sic in excommunicatione persistentes procedere, quando excommunicatio non est ob causam hæresis, sic tradit Pegna *2. p. direct. comm. 72. vers. quidam.* Ergo huic excommunicatio fauens non potest dici, nec condemnari vt fauens hæresi sed solum vt fauens hæresis suspitioni.

13. Quinta difficultas est, an esse consanguineum, vel affinem, vel amicum hæreticum, cui fauorem præstas, te excuset à fautoria hæresi? Si sententiam Sanchez, & Bonacini, sequamur, affirmantium ad hoc crimen committendum necessarium requiri expressam voluntatem fauendi hæresi, nemini esse potest dubium te excusari non posse in foro conscientia, quia talis fautor est inritè malus, et in foro externo exculatus præsumatur, sic Sanchez *lib. 2. cap. 10. num. 8.* Verum iuxta nostram sententiam negantem requirit ad hoc delictum hanc expressam voluntatem, insuperque affirmantem hos omnes obligatos esse regulariter denuntiare hæreticos, & eundem est hoc crimine incurrere, si absque graui iactura, & damno proprio, possent fauorem omittete: est communis sententia, vt contabit ex Doctoribus statim allegandis. At si graui metu fauere præstant, etiam si à peccato non excusentur, exculant tamè à pœna fautoria, quia Ecclesia non videtur cum tanto rigore obligare, sic Pegna *2. p. com. 17. vers. verumtamen.* Simancas *de catholice instit. tit. 15. rubr. de credent. n. 17.* Vgolina *p. de censur. referunt. verbo receptores, §. 2. n. 3.* Farinacius *quæst. 32. n. 162.* & alij. Loquendo tamen pro foro externo iura sanguinis, & amicitia strictissima sunt, & ratione illorum quis coactus censetur recipere, defendere, & fauere se sibi iunctis: ea de causa non desunt graues Doctores, qui à fautoria excusent consanguineos in primo gradu, parentes respectu filiorum, & contras, fratres respectu aliorum fratrum, & uxorem respectu maritis; ij enim censentur non fauere hæresi, sed ex obligatione sanguinis operari, sic Simancas *de catholice instit. tit. 15. rubr. de credent. n. 25.* Pegna *direct. 3. p. q. 111. com. 160. vers. nunc autem.* Decian. in *tract. crimin. lib. 5. cap. 51. n. 79.* fauet Thom. Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 17. n. 24.*

Ceterum communis sententia est titulum consanguinitatis, affinitatis, vel amicitia quantumcumque stricta non excusare in hoc crimine à censura excommunicationis, neque etiam ab aliis pœnis, quæ latitudinem recipiunt, debent tamen temperari pro maiori, vel minori sanguinis coniunctione, sic Menoch. *de arbit. lib. 2. centur. 6. casu 548. n. 8.* Grass. *lib. 4. decis. 18. n. 35.* Pegna *2. part. 9. §. 6. comm. 81. vers. rursum.* Simancas *de catholice instit. tit. 15. rubr. de credent. n. 21.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 51. n. 68.* Farinacius alios referens, *de hæresi, q. 82. §. 9. n. 144.* & 149. & est decisio expressa l. 2. ff. de receptatoribus, ubi receptans consanguineum latrone mitori pœna punitur.

Aduerto tamen in casu dubio, an fauens hæretico consanguineo fauorem præstiterit ob sanguinis coniunctionem, vel ob crimen hæresis, præsumptio facienda est excusans à culpa, sic Grass. & Simanc. *supra*, Farinac. alios referens, *n. 143. & 151.*

DE  
ASTRO  
ALAC  
TOMI  
II



Quæ sint pœnæ fautoribus hæreticorum impositæ.

- 1 Enumerantur pœnæ.
- 2 An illas incurrant, antequam notati sint, & in excommunicatione per annum inforduerint.
- 3 Fautor hæreticorum contrahit suspicionem hæresis pro qualitate fautoris.
- 4 Arbitrio iudicis est puniendus.
- 5 Episcopus negligens in puniendis hæreticis deponendus est.
- 6 Ciuitates Episcopali dignitate sunt priuanda.
- 7 Domini temporales requisiti, si negligentes per annum fuerint, priuantur dominio, & aliu committitur.

**R**Estat enumerare pœnas, quibus supra dicti fautores, receptatores, defensores hæreticorum afficiantur, de quibus latè C. monitæ in *c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, ex illo tit. & tradit Eym. *director. 2. p. 9. 50. 51. 52. & 53.* & ibi Pegna, Farinacius *totæ q. 182. præcipue à num. 37.* quas ferè omnes enumerat Pontifex in *c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis*, in hac verba: *Credentes præterea receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decemimus subiaccere: sumiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum; ex tunc ipso iure sit factus infamis neque ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur, sit etiam inestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hæreditatis successiorem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè iudex exiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur: si tabellio, instrumenta confecta pro ipsum nullius sint momenti, sed cum auctore damnato, damnetur, & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa grauior exerceatur vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati contempserint, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur. Sanè clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec elemosynas, aut oblationes eorum recipiant, alioqui suo priuentur officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ specialis. Similiter quilibet regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia in illa diocesi non fenerunt, in qua tales excessus præsumperint perpetrare.*

2 Circa has pœnas illud occurrit notandum, an illas incurrant fautores hæreticorum, antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum inforduerint? Qua in re Eym. *3. p. 9. 123. n. 2.* negare videtur, ex illis verbis textus, *postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum inforduerit, & illis, cum auctore damnato damnatur, & illis, ab Ecclesia fuerint denotati, quæ omnia indicant publicationem excommunicationis.* Suarez *disp. 24. sect. 1. in fine*, distinguit de pœna infamiae, & incapacitatis ad testandum, & ad officia publica, & in his requirit per annum in excommunicatione infordescere in reliquis verò pœnis spiritualibus, quales sunt priuatio beneficiorum, Ecclesiasticæ sepultura, orationum & oblationum, hanc persequerantiam, & publicationem excommunicationis non requirit.

Dicendum tamen est ex vi illius textus, & ratione excommunicationis, nullam ex supradictis pœnis fautores hæreticorum incurere, nisi per annum in excommunicatione notati inforduerint, quod indicauit Eym. cum dixit loco allegato: *Non videntur alias pœnas incurere, ex eo quod stant in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati norentur, & publicentur, quasi diceret ex alio capite illas incurere posse, & de pœna infamiae, priuationis officiorum, incapacitatis ad testandum, & ad succedendum tradit Farinacius *quæst. 183. num. 39.* & clarius *num. 59. 60. & 106.* De beneficiorum priuatione tradit *num. 40. & 107.* præterquam quod priuatio beneficiorum, quæ habentur, non sit ipso iure, sed per sententiam saltem declaratoriam, vt aliis allegatis docet Pegna *3. par. director. comment. 162. vers. de hæreticorum* Farinacius *q. 182. n. 73. & seqq.* Ad alia verò obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, vt constat ex *cap. quicumque, de hæreticis, in 6. vers. hæretici.**

Limitanda tamen est hæc doctrina in sepultura Ecclesiastica, & orationibus faciendis pro fautore hæreticorum, quia eo ipso, quod constat aliquem fauendo hæreticis decessisse, non debet inter Christianos accipere sepulturam, neque pro illo orationes fundi, quia in peccato mortali, & excommunicatione

ne decessit, ex text. in *cap. sicut, de hæres. & cap. 2. eod. tit. in 6.* & constitut. Innocent. IV. *Neuerit*, quam refert Pegna in *vlt. p. direct. fol. m. 17.* Verumtamen hoc rarò constare potest, nisi condemnatus sit.

3 Præter supradictas pœnas contrahit fautor, receptor & defensor hæreticorum, eo ipso quod crimen committat suspicionem hæresis leuem, aut vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, ob quam sic suspecto debet iudici purgatio, est communis sententia in *c. quicumque, de hæreticis, in 6. sic Vmbert. Locat. in iudic. inquisit. verbo credentes, sub n. 2.* Repert. inquisit. in verbo fautores, vers. nota. Eym. *director. 2. par. quæst. 50. num. 4. & 5.* Pegna ibi comment. 75. *& quæst. 52. comment. 77.* & aliis relatis Farinacius *qu. 182. num. 55.*

4 Deinde arbitrio iudicis possunt puniri fautores, receptatores, & defensores hæreticorum, pœnis pecuniariis vsque ad confiscationem bonorum, exilio, fustigatione, alique corporalis pœnis pro qualitate delicti: colligitur ex his, quæ adducit Menoch. *de arbit. lib. 2. cent. 8. casu 548. num. 1. 2. & 4.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 52. n. 47.* Farinacius *de hæresi, q. 182. n. 54. & probat textus in cap. accusatus, §. sacerdotis, de hæretic. in 6.*

Hæc pœnæ communes sunt omnibus fautoribus, defensoribus, & receptoribus hæreticorum. Aliquæ autem sunt speciales pro Episcopis, Principibus, & Magistratibus, qui fauorem vel omitendo, vel committendo hæreticis præstant.

5 Primò Episcopus negligens in puniendis, extirpandisque hæreticis deponendus est ab Episcopali dignitate, ex text. in *cap. excommunicamus, el. 2. §. volumus, de hæreticis* vbi dicitur: *Si quis Episcopus super expurgando de sua diocesi, hæretice prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cum id certis iudiciis apparuerit, ab Episcopali officio deponatur; & in locum ipsius alter substituitur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confondere prauitatem. Hæc autem depositio à nullo alio faciendæ est, nisi à Pontifice, sic plurius relatis docet Farinac. *quæst. 182. num. 24.* Pegna *2. p. direct. comm. 12. vers. Episcopi ergo.**

6 Secundo ciuitates negligentes in puniendis hæreticis Episcopali dignitate sunt priuandæ, ex text. in *cap. ad abolendam, §. ciuitas, de hæretic. vbi dicitur:* *Ciuitas, quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra communionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam.*

7 Tertio contra dominos temporales, rectores, moderatores prouinciarum, vel ciuitatum, requisitos ab Ecclesia pro hæresi extirpanda, si negligentes fuerint, & in sua negligentia per annum inforduerint, est text. expressus in *c. excommunicamus, §. moueantur, de hæretic. & in authent. c. eodem, & multis relatis exornat Simancas *de catholic. instit. tit. 23. sub rubr. de dominis temporal. n. 1. & seqq.* & in *enchirid. violata relig. tit. 21. rubr. de principibus, n. 4. & 5.* Pegna *direct. 2. p. 9. 53. comm. 78. vers. 1.* Farinac. *de hæresi, q. 182. n. 15.**

Ne autem supradicti domini temporales, rectores, consules, que ciuitatum in supradictam negligentiam incidant, prouideat textus in *c. ad abolendam, de hæretic. §. statumus*, vt iuramento se obstringant, quod fideliter, & efficaciter cum ab Episcopo fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adiuuant, bona fide iuxta officium, & posse suum, Ad idem est *cap. vt officium §. statumus, de hæretic. in 6.* Variant tamen Doctores, an hoc iuramentum debeant præstare omnes domini temporales? Alij affirmant, solum debere præstare illos, quorum terra hæresibus infecta sunt, secus alij; alij de omnibus generaliter affirmant. Certum tamen est quælibet consulem, gubernatorem, magistratum, & dominum, si ab Episcopo, vel Inquisitore requisitus fuerit, de hoc iuramento præstando debere curare, quia ita cauert tum in supradictis text. præcipue in *cap. vt officium*, tum quia expresse Innocent. IV. hoc declarauit in sua constitutione edita anno 1553. incipiente, *Ad aures nostras*, quam refert Pegna inter litteras Apostolicas, *pag. mibi 12.* & alia eiusdem incipiente. *Ad extirpanda §. ita tradit Simancas in enchirid. tit. 21. n. 7. & 8.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 51. n. 11.* Farinac. *de hæresi, q. 182. n. 22.* Eym. *3. p. 9. 32.* & alibi sæpè.

\* \* \*